



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

Liber Duodecimus. De Simonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

INSTITVTIONVM MORALIVM PARTIS TERTIAE LIBER DVODECIMVS. DE SIMONIA.

AD Septimum Praeceptum pertinet etiam tractatus de Vitio Simoniae, quae contractus quidam est valde affinis emptioni, & venditioni, propterea hoc loco de Simonia vitium est agere post caeteros contractus, ne ordo, qui à plerisque in iis explicandis seruatur à nobis interrumpatur. Tractant autè de hoc crimine Theologi, in Quarto Distinct. Iuris Pontificij Doctores, Titu. de Simonia, & Prima quæst. 1. & sex sequentibus. & 7. q. 1. c. Praesentium: & c. Sancitum: & 6. q. 1. c. Si quis & 15. q. 5. c. Sane. Summistæ, in verbo Simonia, S. Thomas 2. 2. q. 100. Altifiodorensis li. 3. Tract. 27. Alexander pag. 2. q. 167. & stenfis li. 6. Tit. 15. s. B. Antoninus, par. 2. Tit. 1. c. 4. & 5. Adrianus quodlib. 9. Sotus lib. 9. de Iustitia. q. 5. 6. 7. & 8. Nauarrus in Manuali, cap. 23. num. 99. & seqq. Rodoanus Iurisconsultus tractatum edidit de Simonia in quatuor partes diuisum.

Qua sit Simonia ratio, & natura.

CAPVT I.

PRIMO quaeritur, Quomodo Simonia definiatur? Respondeo, eam defini sic: Simonia, est studiosa voluntas emendi, aut vendendi id, quod est spirituale, vel spirituali annexum. S. Thomas, 2. 2. quæst. 100. artic. 1. Glossa. 1. quæst. 1. in summa, & colligitur ex c. Qui studeat, & c. Quicumque studet. 1. quæstion. 1.

Dicitur (voluntas) quo nomine intelligitur quævis actio externa, è voluntatis Imperio profecta, siue voluntas ad effectum deducta, ut ait Glossa, accipitur causa pro effectu, voluntas pro voluntaria actione, (studiosa) Non quod sit necessario studio, hoc est, cogitato, aut meditato, aut industria & data opera facta, satis enim est, si fuerit emptio, vel venditio ex deliberata ratione & voluntate. S. Thomas, 2. 2. quæstion. 100. artic. 1. ad 2. Quare studiosæ voluntatis appellatione nihil aliud significatur, nisi voluntas ex scientia & deliberata ratione.

Sed dicitur, & studiosa voluntas, eo quod Simon, unde dicta est Simonia, studio quodam & animi affectu voluit emere spiritualia, unde Simoniz definitio accepta est, & etymologia. A. S.

Emendi, vel vendendi, Continetur his verbis omnis contractus, vel quasi contractus, qui non est gratis, & liberaliter factus: ita Syluester in verbo Simonia, quæst. 1. Angelus eode. verb. 1. S. Thomas, 2. 2. quæstion. 100. artic. 1. ad 5. omnis item conuentio, vel pactio non gratuita facta. Unde comprehenditur transactio, permutatio, locatio, redemptio, quia ex causa, & cum onere existunt. Nominatio itidem; presentatio, electio, institutio, confirmatio, renuntiatio, remissio, missio in possessionem, si gratis non

fiant. Syluester & Angelus locis supracitatis, immo etiam omisso, ut si quis, accepto pretio, omittat aliquem ordinare, vel absolueret, vel eligere, Simoniz crimen incurrit. Nemo, de simonia.

Quod est spirituale) portò spirituale presenti loco accipitur, ut dictum ab spiritu diuino, non humano; & spirituale est triplex. Aut enim est per se tale, hoc est, sua ratione, & natura spirituale: cuiusmodi sunt gratia diuina, quæ iustum reddit hominem; gratia gratis data; tres virtutes Theologicæ, ut Fides, Spes, Charitas; virtutes itidem morales diuinitus infusæ, dona Spiritus Sancti, Characteres, qui per sacramenta menti imprimuntur. Aut est spirituale tanquam causa, qualia sunt sacramenta à Christo Domino instituta. Aut est spirituale, tanquam effectus, ut verbum diuinum annuntiare, promulgare, prædicare, miracula efficere, & vaticinari futura, mentis occulta cognoscere, & aperire.

Annexum spirituali) Censetur aliquid annexum spirituali, tripliciter. Primò, quia antecedit, quale est ius patronatus, quo quis nominat, offert, presentat, vel elegit clericum ad Ecclesiam, siue ad beneficium Ecclesiasticum promouendum. Secundò, quia consequitur id, quod est spirituale, cuiusmodi est ius, decimas, primicias, & obligationes exigendi: nam tale ius conuenit clerico, quia clericus est, & quia sacra ministrat, vel inseruit Ecclesie, quare tale etiam est omne officium, & munus, quod in clericum ut clericum cadit, hoc est officium ex ordine clericali dependens. Tertio modo, Annexum spirituali dicitur, quod comitatur id, quod est spirituale, cuiusmodi est labor, & opera ministrorum sacramenta conferentium, vel sacrificia offerentium, vel Ecclesiastica officia facientium, vel diuina, siue spiritualia tractantium. Hinc est, ut Ecclesiastica beneficia sint annexa spiritualibus, eo quod consequuntur spiritualia, nam beneficium Ecclesiasticum in clericum solum, non in laicum cadit. Peniones quoque Ecclesiasticæ,

quæ dantur clericis quia clerici sunt, etiam annexæ spiritualibus, censentur, quia ius clericorum consequuntur. Sepultura etiam est annexa spirituali, tum quia antecedit, tum quia consequitur spirituale. Consequitur quidem, quia nullus nisi Christianus potest in loco sacro sepeliri; antecedit verò, quia qui in loco sacro conditus est, eo ipso ius habet ad communia Ecclesiæ iustitia, quibus piorum animi in Purgatorio detenti iuuantur. Officia itidem Ecclesiastica, quæ non nisi per clericos fieri queunt, quale est officium Oeconomi, Sacristæ, Thesaurarij, Notarij, Protonotarij, & alia huiusmodi, quæ non nisi in clericis conferuntur: de quibus in *c. Si quis Episcopus. 1. quæstio. 1. c. c. Saluator. 1. quæstio. 3.* Sunt annexa spiritualibus, quia cadunt in clericos.

Præterea, res, quæ factantur, & quibus utitur Ecclesia in conferendis sacramentis, vel diuinis officiis faciendis, vel precibus decantandis, vel denique in quibusuis aliis rebus factis apparandis, tractandis, consecrandis, vel orandis, dicuntur annexæ spiritualibus, quia spirituale antecedunt, vel ad spirituale quouis modo referuntur, vt altaria, templa, sacra vasa, vestes sacræ, Crucis signum, Sacræ Virgines, & reliquæ: tales etiam sunt candelæ, candelabra, cerei agni, aqua, & quæuis alia res, quæ certis precibus, ac ritibus adhibitis ab Ecclesia factantur.

Secundò queritur, Quo iure sit Simonia damnata? Inter omnes conuenit, simoniam iure diuino in vtroque testamento damnari, nempe *Numerorum 22. c. 2. Petri. 2. & in Epistola Iuda* Balaam crimen memoratur, qui mercedem iniquitatis amauit, & fuit mercede conductus vt Dei populo malediceret. Erat enim ille apud gentes atiolus. *3. Regum 13.* reprehenditur Ieroboam, quod sacra Iotia pretio conferret. *4. Regum 5.* Giezi, Elisei propheta famulus lepra diuinitus est percussus, quod à Naaman Syro nummos, & alia quædam acceperit, ob lepram ab Eliseo curatam. *Actuum 8.* Simon Magus, tanquam detestabilis habetur, quod Spiritus Sancti gratiam emere voluerit. *Mat. 10.* Præcepit quoque Dominus Apostolis: (Gratis accepistis, gratis date,) *Intra 21. Ioan. 2.* Item Iudæis in templo dixit: (Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

Quæres, An simoniam ius naturale prohibeat? Ratio dubitandi est, quia spiritualia natura non instituit, sed Deus. Item res sacræ sunt Ecclesia, non natura ipsa. Respondet, dubitandum non esse, quia simonia sit naturali iure prohibita: nam naturalis ratio præscribit, ne si quid spirituale & factum sit, pretio vendatur: quare tametsi Deus est rerum spiritualium & sacramentum auctor, & Ecclesia ea instituat, quæ sunt spiritualibus annexa: nihilominus tamen, postquam semel est res sacra & spiritualis effecta, iure naturali prohibetur, ne quis eam vendat, vel emat, quia eo ipso, quod talis est, à commercio humano separatur, nec pretio est æstimabilis. Hinc est, vt simoniacus iure Canonico multis pœnis addictus sit.

Dubium quæstionis est, An sit aliqua simonia solo iure Canonico prohibita. *Glossa in c. ex parte. 1. De offici. Ind. deleg. in verbo (Dimittere)* censet aliqua prohiberi, quia sunt per se simoniaca, hoc est, tanquam talia iure diuino damnata, cuiusmodi est, sacramenta pretio conferre: aliqua verò simoniaca censeri, non quia talia per se sint, sed quia iure canonico prohibentur; quale est beneficium sine legitima superioris auctoritate permutare, vel vendere Ecclesiastica officia, hoc est, quæ sunt ab Ecclesia instituta.

Quæ Glossæ sententia est communi consensu approbata, vt patet ex Innocentio, Hostiensis, Ioanne Andrea, & Panormitano in eo capite.

Apud S. Thomam, Altiſiodorensem, Alexandrum, Albertum, Riccardum, & alios veteres Theologos hæc simonia distinctio non ita perspicuè legitur, sed tantum apud

Henricum, Durandum, Paludatum, & alios iuniores Theologos. Henricus eam admittit *Quodlib. 6. quæstio. 26. Durandus in quarto Distinctio. 25. quæstio. 3.* negat vllam esse simoniam, quæ solo iure canonico prohibetur: contendit tamen, simoniam naturali, & diuino iure damnari, quia res aut per se sacra est, & spiritualis, & ea iure naturali, & diuino vendi non potest: Aut est spiritualibus annexa; & tunc ea, inquit, vel venditur tanquam factum quid, & spirituale continens, aut solum tanquam res corporalis.

Si primum, id ius naturale & diuino prohibet, si secundum, si noua non est, quia res corporalis pretio æstimari potest, exempli gratia: In beneficio Ecclesiastico est ius exigendi, & percipiendi fructus ex rebus Ecclesiæ ratione ministerij, quod clericus præstat Ecclesiæ, & hoc ius si vendatur, crimen simoniacæ admittitur, quia spirituale & factum est.

Sunt itidem in beneficio fructus, qui percipiuntur, quorum venditio simoniaca non est, quia sunt corporales, non facti. In Calice itidem sacro est materia, ex qua constat, nempe, aurum, vel argentum, quod, si vendatur, simonia non est: est etiam Calix sacer, quia sacris & diuinis officiis deputatur; qui si vt talis vendatur, simonia est, non solum iure canonico, sed etiam diuino & naturali prohibita, quia pretio venditur, quod est in calice spirituale & factum.

Concludit Durandus, ea, quæ iure tantum canonico simoniaca censentur, dici talia solum, quia puniuntur pœna in simoniacos constituta, non autem, quod vere & proprie simoniaca sunt.

At enim Durandus minimè negabit, lege, vel canone aliquid in certa specie, vel genere virtutis constitui, quod per se, vel natura sua talis virtutis officium & opus non est. Verbi gratia, præcipit Ecclesia, vt certis diebus ieiunium colamus, tunc ieiunium illis diebus suscipimus, Tempertantæ officium est, non quod ipsa natura præscribat, sed tantum Ecclesia. Iubet itidem Princeps hoc, aut illud tribui genus sibi solum, tunc qui solum, iustitiae opus efficit, & tamen id tribui genus ius naturale non percipit, sed Principis lex.

Pari quoque ratione præcipit Ecclesia, vt certis diebus rem diuinam audiamus: tunc nimirum rem diuinam audire, religionis est opus, id enim in virtute Religionis Ecclesia præcipiendo constituit: quare talium legum violatores contra eam virtutem faciunt, quam lex, vel Canon præcipit.

Ergo simoniaca dupliciter dicuntur, vel quia sunt per se talia, vel quia pro simoniacis habeantur, eo quod Ecclesiastico Canone, & præcepto vetentur, ne ea vendantur, vel emantur, sicut enim intemperans est, qui ieiunium ab Ecclesia indictum non seruat; ita simoniacus est, qui beneficio seise obligat ea conditione, vt luctum, vel commodum temporale recipiat, vel qui suum beneficium cum alterius beneficio sine legitima superioris auctoritate permutat; vel qui beneficium dimittit propria auctoritate, referentia sibi aliqua fructuum portione, siue pensionem, vel qui officium ab Ecclesia institutum vendit, aut emit, cum Ecclesia prohibeat, ne vendatur, vel ematur.

Tertio queritur, An in simonia sit sacrilegij crimen, an verò iniustitia? Caletanus in *2. 2. quæstio. 99. articulo. 1.* laborat in docendo, quo modo simonia à sacrilegio differat. Ita vt insinuat videatur, Simoniam sacrilegium non esse. Sotus verò *lib. 9. de Iustitia, quæstio. 3. articulo. 2.* fatetur, simoniam esse quandam sacrilegij speciem, & reuera id videtur S. Thomam sentire: nam postquam de sacrilegio tractauit. *2. 2. quæstio. 99. statim quæstio sequenti 100.* agit de simonia, tanquam de quodam sacrilegij crimine.

dicendum in simonia & sacrilegij, & iniustitiæ crimen contineri. Nam simoniacus quatenus pretio vendit, quod vendere nequit, iustitiæ violator est, pretium enim siue iustum acquirit, quod acquirere prohibetur. Et propterea id restituere, Canonico iure compellitur, ut inferius dicam. Quia verò piè, & religiosè facta non tractat, ea vendendo, vel emendo contra Religionem facit; & ideo sacrilegij crimen admittit.

Quartò queritur, An simonia sit hæresis? Causa dubitandi est, quia *c. Fertur. & c. presbyter. 1. questione. 1. & c. Altare. primo questione quarta. & c. Quicumque sacerdos, eadem causa, & questione. & c. Non est. 1. questione 1. & c. Quoties de simonia*, Simoniaca hæresis nominatur, ergo simoniaci hæretici sunt. Dicendum est cum Sancto Thoma 2. 2. questione. 100. articulo. ad 1. Simonia cum tunc esse hæreticum, quando credit Dei gratiam, vel donum Spiritus sancti, vel rem aliam spiritualem posse pretio emi, vel vendi. Et talis hæreticus fuit Simon Magus, qui non solum voluit pretio, Dei gratiam, & donum emere, sed etiam credidit posse id iure fieri. Simoniacus verò, si solum factio ipso emat, vel vendat rem factam, & spiritualem, hæreticus mente non est; quia contra fidem nihil mente credit, sed est sacrilegus, quia divina piè & religiosè non tractat, ut debet: & factio ipso hæreticus censetur, quia pretio rem spiritualem vendit, aut emit. Ius autem Canonicum simoniacam hæresim appellat, quæ in Simonem Magum tanquam auctorem referretur: & simoniacos vocat hæreticos, qui Simonem eius criminis auctorem imitantur mente, vel opere.

Quintò queritur, Quare qui spiritualia pretio emunt, vel vendunt, simoniaci potius nominentur, quam Giezi? Siquidem Giezi longè ante Simonem Magum simoniæ crimen admittit? Respondeo cum Sancto Thoma secundo questione 100. articulo primo ad quartum, Simoniæ iure optimo à Simone Magico nomen accepisse, quia is pretio voluit emere. Dei donum, ut venderet, & ita voluntate, & animo spiritualia emit ac vendidit: Giezi verò quarto Regum. quinto. fuit doni Dei solum venditor, non emptor. Deinde Simon Magus in Ecclesia Enangelica fuit primus; qui spiritualia & divina voluit emere & vendere.

Sextò queritur, An simoniæ crimen sola voluntate, & animo sine opere externo contrahatur? Glossa in *c. Tua nos in verbo (Culpabiles) de simonia, & cap. Qui studet, & c. Quicumque studet, primo questione primo*, videtur innuere; sola voluntate sine facto, vel opere externo non suscipi. Vnde quidam iuris pontificij periti dixerunt, in definitione simoniæ, cum dicitur: simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi, quod est spirituale, esse addendum (opere subsecuto) Alij verò tradiderunt, simoniæ sola voluntate contrahi in his, quæ iure naturali, & diuino tanquam simoniæ labe infecta damnantur, non autem in his, quæ iure tantum Canonico veniunt, in his enim requiritur, inquit, factio, vel opus externum.

Dicendum est, simoniæ crimen posse sola voluntate, & animo committi; ut si quis spe, vel cupiditate commodi temporalis rem spiritualem contulerit, non aliter collaturus, datum siue: nam pari ratione sola spe, vel studio lucri ex mutuo, sicut crimen admittitur, *cap. 1. 14. questione 3. Item in cap. Quicumque, & c. Qui studet. 1. quæst. 1. Quicumque studet pretio rem spiritualem dare, vel accipere, simoniæ prauitate incipit.*

Præterea in *cap. Tua nos de simonia, Innocentius 3. sic ait*: (Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & clerici, qui cum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admittunt, sine dubio tum ille quam isti apud districtum Iudicem, qui scrutator est cordium, & cognitor se-

Insit. Moral. Par. 3.

cretorum, culpabiles iudicantur.) Culpabiles, videlicet simoniæ peste inquinati. Quod autem Glossa, & iuris Canonici consulti dixerunt, simoniæ crimen sola voluntate non contrahi: eum puto sensum habere, quod attinet ad penam iure in simoniacos constitutam. Nam simonia sola voluntate commissa, pena non afficitur. *capite ultimo de simonia*: & sicut sola voluntate suscipitur, sic sola voluntate deletur. Quod vero pertinet ad delicti culpam, sola voluntate & animo contrahitur. Sic Panormitanus in *c. Tua nos, de simonia*.

Quibus modis simonia contrahatur.

CAPVT II.

PRIMO queritur, Quotuplex sit simonia? Respondet, triplicem esse: aut enim sola voluntate suscipitur, & hæc vulgo dicitur Mentalis: Aut pacto, & conuentione contrahitur, quam appellant conuentionalem: Aut opere, & factio committitur, hæc realem vocant. Quidam simoniam solum diuidunt in Mentalem & Realem: sed hi sub reali conuentionalem comprehendunt.

Alij verò simoniam faciunt duplicem, Mentalem, & Conuentionalem. Sed necesse est, ut hi realem reuocent ad conuentionalem.

Nos verò iuris Canonici peritos secuti, simoniam in tria membra partimur, Mentalem, Conuentionalem, & Realem. Aut enim mente tantum, aut pacto solum, aut factio, siue re ipsa committitur. Mentalis simonia est, cum commodum temporale datur, vel accipitur spe, vel cupiditate aliquid spirituale consequendi sine vilo pacto expresso, vel tacito: ut si quis sacramentum ordinis administrat, vel beneficium in clericum confert sola voluntate temporale commodum assequendi.

Simonia conuentionalis est, cum quis dat, vel accipit spirituale pacto expresso, aut tacito, ut det, vel accipiat commodum temporale: vel cum quis dat, aut accipit commodum temporale ea pactio, ut det, vel accipiat rem spirituales, veluti cum quis beneficium clerico confert ea conditione, ut ab eo temporale emolumentum recipiat: vel cum Titius Caio pecuniam dat ea lege, ut ab eo beneficium Ecclesiasticum recipiat. Itaque si quod spirituale est, fuerit datum, vel acceptum ex conuentione, & nondum temporale lucrum redditum, tunc conuentionalis est simonia. E contrario quoque conuentionalis est simonia, cum datum est & acceptum temporale commodum ex pacto, nondum data, & accepta re spirituali.

Simonia realis est, cum ex parte dantis & accipientis re ipsa completur, hoc est, cum datum est, & acceptum ex pacto tum spirituale, tum temporale commodum & emolumentum. In simonia verò conuentionali pacto aliquando est expressa, aliquando tacita: utraque verò iure Canonico prohibetur. *c. Quam pio. primo questione secunda. & c. Pactiones, de Pactionibus. c. Quæstum, de rerum permutatis.*

Secundò queritur, Quibus modis simonia contrahatur? De hoc Glossa 1. primo questione prima in summa, & S. Thomas 2. 2. questione. 100. articulo. 5. contrahitur simonia, ut constat ex *c. Sunt nonnulli. 1. questione. 1. tribus modis*: Aut enim spirituale datur ab aliquo, ut ipse recipiat munus ab obsequio, vel munus à manu, vel munus à lingua. Munus à manu dicitur pecunia, vel quæuis alia res pecunia æstimabilis, & quæ manu apprehendi potest, ut liber, vel vestis. Munus ab obsequio, est ministerium quo quis infertur alteri. Munus à lingua, fauor, vel patrocini-

Xx 3 nium,

nium, vel preces hominum, cum V. g. aliquis dat alteri rem spiritualem, ut ille ipsi faueat apud Principem, vel ut ille Principem oret, vel ut ipsi apud Principem laudet.

Contrahitur itidem simonia aliquando ex parte eius, qui rem spiritualem dat, Aliquando ex parte eius, qui recipit spiritualia: Aliquando ex parte utriusque. *Glossa, l. q. 1. in Summa.*

**De Simonia crimine, quod admittitur in
Sacramentis administran-
dis.**

CAPVT. III.

PRIMUM quaeritur, An fas sit ei, qui Sacramentum administrat, mercedem accipere ratione operæ & laboris, quem sustinet in Sacramento conferendo? Dux sunt sententiarum Catholicorum; una asserentium, fas esse: quia stipendium non accipit ille ratione Sacramenti quod confert, sed ratione laboris & operæ, quam locat: & quicquid iure potest mercede suam operam locare. Adrianus *Quodlib. 9. articulo primo*, censet id esse licitum, & citat Altiopodensem *libro tertio. tractu. 27. capit. 2. quæstion. 2.* Armacanum *libro decimo quæstionum Armenorum capite decimo.* S. Sonauenturam in quarta *Distinctione vigesima qui ita, articulo 4. quæstione vltima*, ubi tractans illud Apostoli. *1. Corinth. 9.* (Qui seminat spiritualia, &c.) Si hoc inquit, non intendit principaliter, immo carnalia meret, ut se sustentet, & spiritualia seminat, nulla est auaritia, nulla mercatio, sed manifesta iustitia, ut multiplex exemplo probat Apostolus. Ex hoc patet, quod si Doctor, Consultarius, Medicus, & alij, qui laborant de consilio, siue doctrina, pretium accipiunt propter laborem ad sustentationem, nulla culpa, nulla est Simonia. Si quis tamen venderet donum diuinitus datum, non suum laborem, iudicaretur Simoniacus. Similiter dicendum est de celebratione Missarum, & similibus. Sic ille. Citat etiam Riccardum in quarto *Distinctione vigesima quinta, articulo quarto, quæstione secunda*, ubi agens de Episcopo recipiente procuracionem iuxta id, quod habetur in *c. Cum sit Romana, de Simonia*, dicit, eum procuracionem accipere tanquam debitam pro suo labore secundum determinationem Ecclesiæ. Et in Responcione ad octauum, clericis, inquit, dicitur & psalteria pro mortuis, si pecuniam accipiant pro suo labore, non peccant, si indigent, & ad hoc alias non tenentur. Producit quoque auctoritatem. *Glossa in c. Significatur de Prab. ubi ait: licet sacerdoti locare operas ad certum tempus, & recipere mercedem pro suo labore, si alias ratione beneficij ad hoc non tenetur.*

Idem docet alia *Glossa in c. Præcipimus, vigesimo primo quæstione secunda*. Allegat insuper Hostiensem post Gofredam in *Summa, titulo de Simonia, § Qualiter committatur*. Probat itidem *ex c. clericis primo quæstione secunda*, ubi legitur: (Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter vigilantique deseruiunt, stidentia sanctis laboribus debita secundum seruitij sui meritum, per ordinationem Canonum à Sacerdotibus consequantur.) Item Gratianus in *c. Ecclesiis 13. quæstione 1.* multis exemplis scripturæ sanctæ ostendit, sacerdotibus deberi stipendia; quia in Ecclesia laborant. Maior in quarto *Distinctione vigesima quinta, quæstione prima, § sed aliqui tenent*, eiusdem est sententiæ, immo subiicit hæc verba: (Præterea aliud est, quod multum mouet, facultas nostra à triginta quatuor annis præteritis contra F. Ioannem Angeli, qui in quarto articulo sic prædicabat: curatus parochialis nihil debet recipere à Parochianis, suis pro confessione, & Sacramentorum administratione, sic definit: Hæc propositio est contra dispositionem iuris naturalis & diuini expresse, ideo falsâ & notoriè hæretica. Nam sacerdos non accipit pro Sacramen-

tis, sed pro earum administratione, quæ actionem, & laborem importat.

Præterea Scotus in quarto *Distinctione quinta quæstione secunda, ad finem* sic ait: (si autem sacerdos nitatur vendere actum baptismationis, potest ille, qui offert paruum, emere, non intendens actum illum emere, in quantum est sacramentalis, sed laborem sacerdotis in illo actu, sicut conducuntur hodie sacerdotes ad celebrandum Missas, non ut ipsi vendant, & alij emant actum celebrationis, in quantum est sacramentalis (quod absit) sed ipsi vendunt laborem, & alij emunt eum: quia oportet videri quæque de suo labore victuare, & vitam acquirere.) Sic ille Burius in *c. suam nobis, de simonia*, ait, consuetudine introduci posse, ut temporale commodum deat, & accipatur ob laborem in rebus spiritualibus, non autem ob res ipsas spirituales.

Secunda sententia est Durandi & Paludani in 4. *Distinctione 25 quæstion. 3.* & Panormitani in *cap. suam nobis, de simonia, num. 4.* asserentium non posse operam & laborem in sacramentis conferendis pretio emi, vel vendi: quemadmodum nefas est sacramentum pretio dare, vel accipere. Ratio eorum est, quia opera, & labor eiusmodi est omnino necessarius ob sacramentum conferendum, nec enim potest à sacramenti administratione separari: ergo eodem iure prohibetur huiusmodi laborem pretio vendere, vel emere, quo prohibetur sacramentum pretio dare, vel accipere. Caietanus, 2. 2. *quæstion. 180. articulo 3. ad dubium secundum*, & Sotus, *lib. 9. de iustitia, quæstione 6. articulo 1.* Auctores harum duarum opinionum hunc in modum conciliant. Labor, inquit, quem in sacramentis administrandis, quis suscipit, aut est per se necessarius, & per se coniunctus cum sacramenti administratione, aut solum est ex accidenti coniunctus. Primum laborem nefas est pretio vendere, vel mercede locare; secundum non item. Ratio est, quia primus labor separari non potest ab actione, qua sacramentum confertur: secundus vero labor potest separari. V. g. Si quis petat à Presbytero, ut rem diu nam faciat certis diebus, aut ter, vel quater in hebdomada, mensis, vel anno, vel in certo templo, sacello, oratorio, vel certo altari, potest ille presbyter operam suam, vel laborem mercede locare, quia is labor non est per se coniunctus cum sacrificio Missæ: & sacerdos eo ipso quo obligatur ad rem diuinam certis diebus, vel certo loco, vel altari faciendam, obstringitur obligatione pretio æstimabili, si quidem aliquid de sua libertate, & iure detrahit.

Iter itidem facturus est, ac proinde itinere impensas: at verò nequit presbyter eum laborem pretio vendere, quem omnino pro se missæ sacrificium requirit ac postulat. Pari ratione si presbyter vocatur, ut penitentis alicuius longè distantis confessionem audiat, quam ratione sui muneris & officij alioqui audire non cogitur; potest laboris, & molestiæ in itinere faciendo mercedem accipere: quamuis nequeat pretio vendere laborem, quem sustinet in confessione audienda. Hactenus ex Caietano, & Soto. Panormitanus quoque in *cap. suam nobis de simonia, num. 12.* & Innocentius in *cap. Quoniam: Ne Prælati vices suas*, aium, iure posse sacerdotem alienum locare operas suas spirituales, non directè, ut recipiat mercedem, sed ut compenset id, quod sua interest, vel damnum quod patitur in exhibendo se presentem, vel in mora trahenda. Spiritualia conferendos nam eiusmodi operam gratis præstare nullo iure compellitur. Et hoc modo, inquit, intelligitur, *Glossa 21. quæst. 2. cap. Præcipimus.*

Certi iuris est, nefas esse, pretio spiritualia dare. *cap. Cum in Ecclesia, de simonia.* Certum itidem est, ius esse ministris sacramentorum accipere id quod dari consuevit eis, ut postea dicemus; item id, quod datur in subsidium vite necessarium, & hoc est id quod requiritur ad vitam sustentandam, id enim ius naturale & diuinum concedit. Vnde Christus Dominus, *Mat. 10. Luc. 10.* (Dignus est operarius merce-

mercede, vel cibo suo.) Hinc & illud, *Hebr. 13. 1. Cor. 19.* (Qui altari seruit, de altari uiuat;) & rursum, *ibidem.* Quis enim suis stipendijs militat inquam;) & *Deut. 25. 5. 1. Corint. 9.* (Non alligabis os boui trituranti;) item *ibidem;* (Si nos uobis spiritualia seminauimus; magnum est, si carnalia uestra metamus?) Et ratio manifesta id confirmat; quia sacramenti minister nequit sacramenta conferre, nisi uiuat; uiuere autem non potest, nisi alatur. Tota igitur difficultas in eo consistit, An sacramentorum ministri suum laborem, vel operam necessario coniunctam cum ipsa sacramenti administratione possint locare, vel pretio vendere.

Meo iudicio, secunda sententia, quam communem dicit esse Panormitanus, *cap. Suam nobis, de simonia, num. 4.* uera est, quia eo ipso quo iubemus gratis dare, quod gratis accipimus, iubemus gratis quoque laborem suscipere, qui est necessarius per se coniunctus cum ipso opere spirituali, vel sacro, quod facimus. Opus enim, siue actio operam aliquam, & laborem requirit, & is labor in ipso opere comprehenditur, & intelligitur. Secus uero est de labore, qui ex accidenti tantum est operæ, vel actioni coniunctus.

Quare primæ opinionis auctores solum uidentur locuti de labore secundi generis, non primi, ac de stipendio, quod accipitur, ut uicæ subsidium ad ministrum sacramentorum sustentandum, vel de eo, quod accipitur iuxta consuetudinem receptam, ut inferius explicabo. Vel de eo, quod accipitur in compensationem damnorum, quæ patitur minister, quando ea damna sustinet non cogitur ratione muneris, & officij. *Pador. in cap. Suam nobis, de simonia num. 12.*

Primæ uero opinionis argumenta locum habent tantum in labore, qui est extrinsecus adiunctus sacramentis, non in eo, quem necessarius requirit sacramentorum administrationem. Et consuetudo solum habet, ut Sacerdotes mercede locent laborem suum, qui ex accidenti eam sacramentis, vel alijs rebus spiritualibus coniungitur. Secus etiam, & S. Bonauentura solum innuunt, iure posse presbyterum laborem suum locare, vel vendere pretio ad uitam suam sustentandam, & iuxta præscriptum, & ordinem Ecclesiæ.

Secundæ quartitur, An in sacramentis licitum sit spirituale cum spirituali commutatur? V. g. An possint duæ adultæ ætatis homines ita pacisci: Baptiza tu me, & ego te baptizabo, vel duo presbyteri sic: Audi meorum peccatorum confessionem, & ego vicissim audiam tuam. Vel ita: Si pro me Deum oraueris, ego pro te vicissim orabo.

Ratio dubitandi est, quia huiusmodi pactio non uideatur simoniae labe polli, eo quod spirituale pretio non datur, aut recipitur, nec spirituale cum temporalis, sed cum spirituali commutatur. Sotus, *lib. 9. de iustitia, quest. 3. art. 2. ad 3. in fine* sic ait: (At ego profecto non uideo quidnam uenditionis, aut pretij admisceatur, si uicariæ operæ in pactum ducuntur: Baptizabo te, si me baptizaueris: si meam uolueris audire confessionem, tuam vicissim audiam: & orabo pro te, si mihi vicissim pariter rependeris beneficium.) Maior *istudem in 4. distict. 23. quest. 6. conclus. 1.* (Res, inquit, spiritualis potest in pactioem duci pro te spirituali. Pareat in permutatione Ecclesiæ; ut, Do tibi titulum Ecclesiæ meæ, & accipio titulum Ecclesiæ tuæ.) At uero Ricar. *in 4. distict. 25. art. 3. quest. 1. ad 1.* negat fas esse duobus hominibus adultis ita pacisci: Ego baptizabo te ea conditione, ut tu me baptizes. *Iidem docet Astenst, in Summa, lib. 6. tit. 33. art. 3. quest. 4. Angelus in uerbo Simonia 2. num. 32. Rosella eod. uerbo 1. num. 8. Siluester eod. uerbo quest. 16. vers. 4. prope finem. Tabien. eodem uerbo 3. 4. Armil. eodem uerbo. nu. 42.* Quorum omnia uia est sententia, eulmodi pactioem non esse licitam, quia quamuis ea simoniae labe careat, quia spirituale pretio uenditur, vel emitur, aut qua spirituale cum temporalis commodo permutatur, id tamen iurij habet, & eam simoniae

speciem, quod sacramentum gratis non datur. Item quia eulmodi pactum pugnat cum eo, quod habetur in *ca. vlt. De pactis cap. Quæsitum, de rerum permut. 2. cap. Quam pio, 1. quest. 2. 2. cap. Tua nos, de simonia, quibus locis.* In spiritualibus omnis pactio, & conuentio prohibetur.

Hæc sententia est uera, & eam probant, ac fulcunt duo argumenta proposita. Hinc tamen non fit, ut ea quæ sunt spiritualibus annexa, cuiusmodi beneficia, & alia huiusmodi, permutari non possint cum alijs rebus similibus legitima auctoritate superioris, & iuxta formulam canonico iure præscriptam, ut *infra dicemus.* Nec item fit, ut labor unus ministri, qui solum ex accidenti coniungitur cum administratione sacramenti, commutari cum simili labore alterius ministri non queat: nam tunc spirituale non commutatur cum spirituali, sed labor extrinsecus cum labore extrinsecuo.

Vnde si quæras, An liberum sit duobus Canonicis, vel duobus Presbyteris ita pacisci: Fac tu rem diuinam hodie, quam ego facere debebam, & ego identidem cras faciam tui nomine, vel sic. Tu fac primum sacrum hodie, quod ego facere debebam, & ego faciam secundum, quod pertinebat ad te? Respondeo, communem esse sententiam, ut patet ex *Astenst, Angelo, Rosella, Siluestro locis supra citatis,* eulmodi pactum non esse iure prohibitum, quia simpliciter non commutatur ex pacto unum Missæ sacrificium cum alio: sed obligatio unus sacerdotis, cum obligatione alterius sacerdotis, & talis obligatio non est per se, & necessario coniuncta cum Missæ sacrificio. Et pari ratione possent inter se pacisci duo sacerdotes: Fac tu sacrum in certo templo, vel certo altari, ubi ego facere debeo, & ego itidem vice tua faciam in templo, vel altari, in quo tu facere debes. Sine pacto autem fas est dicere. Orabo pro te, & precor te, ut ores pro me. *Ang. Rosell. Siluest. locis supra citatis.*

Tertio quartitur, An licitum sit Titio in extremum uitæ discrimen adducto, ut baptismum recipiat, pretium tradere Caio, qui non nisi pretio dare baptismum uelit? In eo cõueniunt omnes, paucis exceptis, quos inferius indicabo, non licere pretium tradere, quando cunque is, qui baptismum petit, adultæ ætatis est, & rationis compos; quia is per fidem baptismi saluus fieri potest, *cap. Debitum, de baptismo, 2. eius effectus, 2. cap. 2. De presbyt. non baptizato. S. Thom. 2. 2. quest. 100. art. 2. ad 1. Glossa in cap. Baptizandus, 1. quest. 1. in uerbo, Moliatur. Panor. cap. Cum in Ecclesiâ, de simonia.*

Dubiæ uero quæstionis est, An si is, cui baptismus est conferendus, sit paruulus, & ne no adit, qui eum baptizet, nisi Caius, qui sine pretio baptismum dare renuit, An, inquam, tunc Titio, qui paruulum ad baptismum adfert, vel offert, eumque baptizare non potest; quia mutus, vel mancus, vel quia baptismi formam nescit, liceat pretium dare, ut Caius, qui non uult sine pretio baptizare, paruulum baptizet.

Quæstionis huius difficultas in eo consistit, utrum liceat Titio tunc temporis non quidem pretio baptismum emere, hoc enim proculdubio simoniacum esset: sed pretium dare Caio ad redimendam vexationem, qua paruulus vexatur, cui inique baptismus denegatur, cum tamen is ius habeat suscipiendi baptismum.

Dux sunt sententiæ, una est asserentium, id licitum non esse: quia redemptio vexationis locum non habet, nisi cum inique vexatis, qui potest obesse, vel qui impedit, ne quis ius sibi quæsitum consequatur. V. g. Titius est legitime ad beneficium Ecclesiasticum electus, impeditur autem à Caio, ne illud adipiscatur.

Si uero is, cuius est electionem confirmare, id facere recuset, tunc fas non est Titio, pretium illi tradere, ut electionem confirmet, hoc enim non esset vexationem pretio redimere, sed confirmationem emere, Pari ratione si Caius nolit sine pretio baptizare paruulum, nequit Titius pretium Caio dare: quia non esset redimere vexationem, sed emere baptismum à Caio. Caius enim non vexat, quia

cum possit baptismum conferre, non facit. *Sic Alexander par. 2. quest. 167. memb. 3. art. 1. Ioan. in Summa, lib. 3. tit. 24. quest. 24. Paludanus in 4. distinct. quest. 3. art. 3. Supplemen. in verbo Baptismus. 3. Silvester in verbo Simonia, quest. 8. vers. 8. Beatus Antonius par. 2. tit. 1. cap. 3. §. 16.*

Altera opinio est asserentium, licitum esse pretium dare, quoniam iustus est in extrema salutis aeternae necessitate constitutus, & is, qui baptizare potest, diuino praecipio cogitur eum baptizare, sicut cogitur pascere fame morientem; ac propterea videtur iniuriam contra infantem admittere. *Scotus in 4. distinct. quest. 2. ad tertium ait: (potest dari pretium, non ut actus sacramentalis ematur; sed, ut conducatur opera, & labor baptizandi parvulum.) Idem etiam sensit Gabriel in 4. distinct. 5. art. 2. conclus. 2.*

Alij dicunt esse licitum pretium dare, ut vexatio redimatur. *Sic Albertus in 3. distinct. 25. art. 1. Adrianus Quodlib. 9. art. 3. ad 2. Caietanus 2. 2. quest. 100. art. 2. Scotus lib. de iustitia, quest. 6. art. 1. ad 1. Maior in 4. distinct. 5. quest. 1. Angel. in verbo Simonia. 2. num. 12. Rosella eod. verbo. num. 18. Armilla eod. verbo, num. 29. Et in verbo Baptismus, nu. 56. Glossa in eod. cap. Baptizandis, l. q. 1. in verbo Moliantur, sic ait: (si est puer, baptizet eum offerens, vel pater. Sed si illi, ita debiles sunt, vel nesciunt formam baptismi, vel nullus est alius, qui baptizet in necessitate, non ideo danda est pecunia, & committenda simonia: potius permittatur moti sine baptismo. Ego tamen potius darem pecuniam, quam eum sic dimitterem moti. Et bene, licet non deberet facere.) Hac Glossam, Scotus improbat; quia si non deberet facere, quo modo ait Auctor Glossae, se bene id facturum? Panormitanus, in cap. Cum in Ecclesia de simonia. Glossam videtur approbare; ibidem subiiciens, pecuniam posse dari, non ut sacramentum ematur, sed ut impedimentum auferatur quo parvulus impeditur, ne baptismum suscipiat. Sed hoc idem est dicere, quod licet pecuniam dare, ut vexatio redimatur. Quare semper difficultas remanet integra: quia sicut non licet redimere vexationem, quando is, qui vexat, obest quidem, sed prodesse potest; quia si velit id dare, quod ab eo petitur, potest, & non dat, quia non vult. Sic etiam non videtur licitam pecuniam dare, ne impediatur, cuius est dare, quod petitur: quia is ideo impedit, quia renuit dare postulata. Secus est, si impedimentum aliunde proveniat. V. g. Caius, a quo petitur, ut baptizet parvulum, tenetur ligatis manibus, & pedibus, vel in carcerem traditur, ne puerum baptizet, tunc licitum est pretio eiusmodi impedimentum amovere. Est enim extrinsecum: quale non est, in praesenti negotio, cum ipse Caius ideo parvulum non baptizet; quia non vult sine pretio facere.*

Mihi quidem secunda sententia videtur valde probabilis, quippe quae tot tantorum Doctorum est auctoritate suffulta: at prima opinio magis probatur, propter rationes propositas. Redemptio enim vexationis locum habet, quando quis rei possessione deiecit, vel à iure iam quasi-to repellitur; non autem quando quis ideo postulat, is non annuit, quia non vult.

Pari ratione licitum est impedimentum pretio è medio tollere, quando quis per vim, vel metum incellum impeditur, ne faciat: non autem quando quis non facit; quia id quod petimus, facere recusat. Et S. Thomas in 4. dist. 4. quest. 2. art. 2. quest. 5. ad 3. sic ait: (Quidam dicunt posse pretium dari; quia non est simoniam committere, sed redimere vexationem. Sed oppositum est melius.) Sed obijcias, licitum est ex necessitate usus promittere, & soluere, quando quis mutuum aliter non dat, nisi eum usus? Respondeo, usus ex necessitate promittere, & soluere, non esse malum per se: at emere spiritualia, vel pretio etiam parare ad ea acquirenda, est per se malum & mala non sunt facienda. *Rom. 3. ut inde bona veniant.*

Si rursus opponas, Licitum est consilium dare alteri

de eo, quod minus malum est, ac minus malum est, pretium dare, quam periculum, in aeternum damnari. Respondeo, pretio baptismum emere, est per se malum, vnde bene fieri non potest.

Sed quid dicendum, quando, urgente necessitate parvuli, Caius nolit aquam sine pretio dare, & alia aqua ad parvuli baptismum non suppetat? Respondeo cum S. Thom. in 2. 2. q. 100. art. 2. ad 1. fas esse tunc temporis à Caio aquam emere, dummodo ea non ematur, ut est materia Sacramenti, sed quatenus aqua est.

Quid, si Caius nolit eam vendere, nisi pluri, quam valeat? Respondeo, non esse licitum eam pluri emere, si Caius vendat pluri, quatenus sacramenti materiam: at potest pluri emi, si idem Caius vendat; quia in eo parvuli periculo, & necessitate alia aqua non est: tunc enim aqua plus valet, sicut ceterae merces ob penuriam pluri aestimantur. Et quamvis Caius pluri vendendo ob parvuli necessitatem, peccaret, Titius tamen licite emeret, dummodo non Caius emeret, quatenus sacra est.

Quid itidem, si aqua illa sit sacra? Respondeo, licitum esse eam emere, non quatenus sacra, sed, ut aqua est: quemadmodum sacrum calicem, ut sacrum emere, aut vendere iure non possumus, bene tamen quatenus argenteus, vel aureus est: dummodo ad profanos usus eum non eramus, vel vendamus. *Paludan. supplemen. Et Ioannes locis praallegatis.*

Quid quaeritur, Quid de alijs sacramentis sentiendum, & dicendum sit: veluti si sacerdos nolit poenitentium confessiones audire, nisi pretio sibi oblato, aut nolit sine pecunia sacramentum Eucharistiam, praesertim mortis tempore ministrare?

De hac quaestione Panormitanus, & Hostien. in cap. Dilectus 3. de simonia. In qua. quest. Adrianus Quodlib. 9. art. 3. ad tertium, & supplementum Gabrielis in quarto distinct. 25. quest. 2. art. 2. proposit. 7. docent.

Quando Sacramenta sunt ad salutem necessaria, licitum esse pretium tradere, non ut ematur, sed ut iniqua vexatio redimatur.

Quando vero Sacramenta voluntarie recipiuntur, siue quando non sunt ad salutem necessaria, non licet pretium dare, ut quis ea recipiat; quia tunc redemptioni vexationis locus non est, cum nulla adsit necessitas ea recipiendi. Et hinc est, inquit illi, ut adultus, & rationis compos in mortis periculo constitutus, possit pretium dare, ut baptismum recipiat ab eo, qui gratis illud conferre non vult, vel ut absolutionem peccatorum recipiat ab eo, qui non nisi pretio eam impendere vult, si alius non adsit, qui vel baptizare, vel absoluaere possit. *Idem videntur docere Host. & Panorm. in cap. Dilectus 2. de simonia.*

Communis est opinio opposita, & ea pro certiore, & veriore tenenda; quia in adulto homine non est eadem necessitas, quae in parvulo. Nam is, qui adultus, & in extremum vitae discrimen adductus est, perinde se habet, ac si sacerdotis copiam non haberet, quando sacerdos gratis baptismum, vel absolutionem peccatorum dare non vult. quare tunc eiusmodi homo cum voto baptismi, vel confessionis saluus esse potest: quia fides baptismi, ubi baptismus suscipi non potest, saluos facit adultos. *cap. Dobitiam, de baptismo, & eius effectu Et cap. 2. De presbytero non baptizato.*

Quid quaeritur, An citra simoniae labem possint dari munera Paganis, vel Iudaeis, ut baptismum suscipiant? Hanc quaestionem tractant. *Glossa in cap. Dilectus 2. De simonia, Et ibi Panormitanus, nu. 7. Et Glossa in cap. Quam pio. 1. quest. 2. Abbas itidem in cap. Cum in Ecclesia de simonia, num. 7. Quidam aiunt posse: quia Silvester Pontifex Romanus Paganis munera promississe, & obtulisse perhibetur, ut ad baptismum venirent; ut testatur Panorm. eo loco, quem paulo ante protulimus, Et Gloss. in cap. Quam pio. 1. quest. 2. Et Rosella eod. verbo l. num. 19. Silu. eod. verbo quest. 8. vers. 3.*

In primis, pactis, siue conuentione iure prohibetur, neque enim

enim licitum est cum Pagano, vel Iudæo pacifici: Si baptismum susceperis, hoc, aut illud tibi dabo. *Glossa in cap. Quam pio. 1. quæst. v. & Panormi. in cap. Dilectus 2. de simonia, nu. 7.* In omnibus enim spiritualibus pacto iure communi veratur. *cap. Quam pio. 1. quæst. 2. & cap. ult. De pælis in sexto, & cap. Quæstum de rerum permu.* Nam quod ex pacto debetur, ex iustitia debetur; unde quod soluitur, non gratia datur.

Deinde licitum non est, Pagano, vel Iudæo pretium dare, vel munera tradere, ut baptismum recipiant, hoc enim esset baptismum pretio vendere. Insuper in *cap. Quam pio. 1. quæst.* dicitur. (Nunquam legitimus, Domini discipulos, vel eorum ministerio coarctos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interuentu prouocasse. Sic ibi. Conuenit autem inter omnes, ut patet ex *Panormitano, Angelo, Rosella, & Siluestro locis supra citatis*, licite munera promitti, & dari, ut vitæ alimentaria, & subsidia necessaria, videlicet, quando Paganus, vel Iudæus Christianus non sit, veritus paupertatem, ut si timeat Iudæus inopiam; quia baptismum recipiens restituere cogetur quicquid ex vitis comparauerat, & pauperibus debet: Item si Paganus timeat, ne Christianus efficiatur, pauperem, aut vilem vitam agat: tunc enim licitum est usurario luera, quæ pauperibus debeantur, cum sint incerti, & ignoti domini, Iudæis remittere, & Pagano aliquid dare, unde commode viuat: quia tunc solum id datur, ut extrinsecum inopie impedimentum e medio tollatur, ne metu paupertatis à baptismo detineatur. Secus esset, quando Iudæus, vel Paganus suscipere baptismum renuere: quod ei Christiana religio non placeret: tunc enim baptismum pretio venderetur, aut pretio via ad spiritualia pararetur; quod quidem licite non sit. Pari ratione, si Hæreticus metu paupertatis, ad Catholicam fidem non rediret, posse ei vitæ alimentum præberi, ut ad Ecclesiam reuertetur.

Idem dicendum est, si Paganus, qui captiuitate, vel seruitute tenetur, & impeditur à domino, quo minus Christianus fieret, posset tuta conscientia, Trius eum à captiuitate, vel seruitute redimere, ut liber effectus ad baptismum veniret.

Idem inris est, si mina ethnica vellet Christiana fieri, quando virum inueniret, cui nuberet, posset Caius ei mulieri se in virum offerre, & promittere se eam uxorem ducturum, modo Christianam fidem, religionemque proficere: quia in his omnibus pretium, aut temporale commodum solum offertur, vel datur ad impedimentum Catholicæ fidei, vel religionis Christianæ, vel Baptismi remouendum. *Glossa ibidem in cap. Dilectus 2. De simonia* sic ait: (Ad hoc enim, ut ad fidem aliquis conuertatur, bene potest dari pecunia.) *23. quæst. 4. cap. Debet. & in eadem causa, quæst. 7. cap. Quo autem, distinct. 45. cap. Qui sineca.* Et sub tali conditione possumus aliquam feminam ducere in uxorem. *26. quæst. 1. cap. Cause.* Iuriori quoque pensione possumus aliquem onerare, ut conuertatur ad fidem. *23. quæst. 6. tals enim conditio bona est.*

Sextò quaeritur, An fas sit Caio sacramentorum ministro deducere in pactum, ut ei detur necessarium vitæ alimentum? Caietanus *secunda secunda, quæst. 100. art. 3. vers. Ad audientiam horum, prope finem*, distinguit in hunc modum: Si alimentum vitæ constitutum est, & taxatum auctoritate iuris, vel superioris, tunc siue diues, siue pauper sic minister sacramentorum, potest in pactum deducere: nam huiusmodi pactum iuri Canonico non aduersatur, eo quod vitæ alimentum iure, vel auctoritate superioris debetur: ac proinde potest sacramenti minister exigere, & de eo pacifici; quod enim iure debetur, potest in pactum deduci.

Si vero alimentum vitæ non sit iure, vel superioris auctoritate decretum: tunc, inquit Caietanus, si clericus sit si diues, vel habeat, unde viuat, non potest de eo pactum iure; quia alimentum non debetur ei, qui aliunde commodum victum habet. Quod si Clericus sit pauper, po-

test de alimento pacifici. Sic ille *Glossa in cap. Suam nobis, de simonia in verbo Pro exequijs*, sic ait: Sacerdos, si ei sumptus defunt, potest recipere. *1. quæst. 7. cap. iudices.* sicut testis, qui recipit sumptus. *14. quæst. 3. §. Venturos:* Et Episcopus recipit procuracionem pro consecratione Ecclesie, *cap. Cum sit Romana, de simonia*, & iudex gratis iudicat, & tamen recipit sumptus, *l. 1. ff. De offic. Præsidi.* Nec est inconueniens, quod clericus locet operas suas, cum non habeat, unde viuat. *gr. distinct. 1. cap. 3. & 4.* Sed sacerdos, qui ex officio suo ad hoc tenetur, & qui habet victum suum sumptibus tenetur spiritualia ministrare. *De consecrat. distinct. 1. cap. Sufficit.* Panormitanus in *cap. Suam nobis, de simonia. num. 10.* respondet in hunc modum: Si proptius sacerdos habet, unde viuat, non potest, cessante consuetudine, aliquid exigere in alimentum vitæ, quamuis possit recipere gratis oblatum.

Si vero sit pauper, aut potest honeste sibi aliunde victum acquirere, scilicet scribendo, vel docendo, vel quid simile faciendo, & tunc non potest aliquid exigere, sibi enim imputet, qui tenuis, & exiguum beneficium recipit: ac proinde sibi victum requirit. *cap. Clericus victum, distinct. 1. & ibi Glossa. 1. Cor. 9.* Nam beatus Apollolus quærebat sibi manibus operando, unde viueret. *cap. Cum Apollolus, de censibus.* Quod si non possit honeste victum aliunde parare, tunc auctoritate Episcopi cogendus est populus ad victum necessarium ei suppeditandum. Vnde *Glossa, cap. Omnis Christianus, de consecrat. distinct. 1.* dicit, Sacerdotem indigentem posse spiritualia subtrahere, nisi recipiat ab eo oblationes, ex quibus possit viuere.

Sacerdos vero alienus potest vitæ alimentum exigere, siue habeat, unde sustentetur, siue non habeat: quia ratione muneris, & officij non cogitur sacramenta ministrare. Ita *Panormitanus. Sotis lib. 9. de Iustitia, quæst. 6. art. 1. vers. Idque possunt dupliciter;* contra Caietanum sentit, sacramentorum ministrum (& videtur loqui de eo, qui non est proptius sacerdos) siue diues, siue pauper sit, posse tuta conscientia vitæ alimentum exigere.

Id probat, quia quamuis abundet, unde possit commodè sustentari, potest iure ex altari viuere, siquidem altari seruit. Quod si dicas: Patrimonium habet, unde viuat; Contra est, quia potest suum patrimonium in alios vltus referuare, vel impendere, & ex altari viuere.

Sed contra Soti sententia & viget argumentum: Alimenta non debentur nisi his, qui aliunde victum non habent, nec habere commodè possunt: & hinc est, ut filius non cogatur patri alimenta prestare, si habeat aliunde, ex quo viuat. Ergo si sacerdos diues sit, iure non potest alimentum exigere, siquidem ei debitum non est.

Dices, Quamuis sacerdos nequeat exigere tanquam alimentum, post tanquam stipendium, & mercedem suæ operæ, & laboris postulare. Contra est: quia non solum quærimus, an possit petere alimentum clericus, quia aliunde commodè viuat, sed etiam non possit petere stipendium?

Dicendum existimo cum *Glossa, & Panormitano locis supra citatis*, Sacerdotem tanquam alimentum exigere non posse, si aliqui abundet, posse tamen petere, ut compenset damna, quæ patitur, vel impensas quas facit, vel id quod sua interest, vel denique, ut recipiat mercedem laboris, qui ex accidenti solum cum sacramenti administratione coniungitur, quando cumque nihil horum ratione sui numeris & officij sustinere compellitur.

* * *

Alia quaestiones de eadem re dissoluntur.

CAPVT IV.

Primo quaeritur, An liceat matrimonium contrahentibus, pecuniam, tanquam pretium dare, & accipere? Respondet S. Thomas 2. 2. *quæst. art. 2. ad sextum*, non esse licitum, matrimonium pretio contrahente, quatenus est sacramentum, sed quatenus est officium naturæ. Vnde in nuptijs viro datur dos, vt matrimonij, quod est officium naturæ, onera sustineat.

Item donatio propter nuptias, quam facit vir vxori, est ad mutuam beneuolentiam conciliandam, ad amorem excitandum, fouendum, & conseruandum. Sic enim coniuges in officio continentur.

Secundò quaeritur, An liceat sacerdoti pecuniam exigere, & accipere, eo quod nuptiarum benedictionem sacram coniuugibus impendit? *cap. Cum in Ecclesia, & cap. Suam nobis de Simonia*, penitus prohibetur, vt ratione benedictionis nubentium aliquid accipiatur. Iure sanè optimo Panormitanus Glossam confutat, dicentem: licet pro matrimonio aliquid dare, vel accipere, non sit peccatum. 1. *quæst. 1. cap. Quidquid, & 31. quæst. 11. c. Honorantur*, quoniam matrimonium sacramentum quidem est, sed per ipsum gratia non confertur. 32. *quæst. 1. cap. Nuptia, & in eadem causa, quæst. 2. c. connubia*. Pro benedictionibus vero nubentium aliquid accipi prohibetur; quia per eas gratia confertur.

Vnde, inquit, est argumentum, quod non idem iuris est in accessorio, quod in principali. Hæc Glossa. In quibus errat.

Primò cum ait per matrimonium non dari gratiam, est enim verè, & propriè nouæ legis sacramentum.

Secundò ait: Si benedictio nubentium non esset sacramentum, & gratiam non daret, posset portio dari, & accipi.

Reuera benedictio nubentium sacramentum non est, sed sacra, & solennis matrimonij caremonia ab Ecclesia instituta. Et quamuis sacramentum non sit, nequit dari, & accipi portio; quia est res sacra, & matrimonio, tanquam sacramento annexa.

Quæres, An liceat sacerdoti, ad quem pertinet nubentibus benedictionem impertire, pecuniam exigere ab eo sacerdote, cui dat facultatem nubentibus benedicendi.

Distingendum est: Aut exigit tanquam partem eius, quod sponte offertur à nubentibus, aut tanquam pretium facultatis à se alteri datæ.

Si primum, simoniæ crimen non admittit, quia facultatem non vendit.

Si secundum, Simoniæ labe inficitur; quia est venditor facultatis, quam impertit.

Idem dicendum est de facultate, quam sacerdos alteri concedit, vt possit penitentium confessiones audire, vel alia sacramenta administrare.

In his autem omnibus semper est abstinendum ab eo, quod mali speciem habet: talis enim sacerdos merito creditur facultatem pretio vendere.

Tertiò quaeritur, An si sacerdos Simoniæ crimen committat, cum absolutionem impendit alicui recepta ab eo pecunia? S. Thomas 2. 2. *quæst. 100. art. 2. ad tertium*, ita distinguit: Si pecuniam accipiat, vt pretium absolutionis, Simoniæus est. Et idem dicendum est, si ex pacto antecedente pecuniam accipiat: idem quoque, si antequam peccatorum confessionem audiat, vel penitentem absoluat, pecuniam exigat.

Si vero, inquit Sanctus Thomas, pecuniam soluat is qui absoluitur, in penam peccati à se commissi, tunc nullum est simoniæ crimen: quia pecunia datur, & accipitur non vt pretium absolutionis, sed ob penam peccati, is enim, qui peccauit, suæ culpæ pec-

nam meretur. Et sicut ei possunt ieiuniorum, vel peregrinationum onera imponi: sic etiam multa pecuniaria. Sed cauere debet Episcopus, vel sacerdos ab specie mali, ne cupiditati potius, quam correctioni id tribuatur.

Sed quaerat aliquis, An licita sit huiusmodi pena, non solum cum peccator absoluitur ab excommunicationis, vel interdicti sententia, aut vinculo, sed etiam cum absoluitur à peccatis? Respondit Siluester in *verbo Simonia, quæst. 8. vers. 4.* cum Hostiensis, & Paludano, esse licitum: quamuis S. Thomas *loco prefato* potius loqui videtur de absolutione ab Ecclesiastica censura, quam à peccatis. Sic enim ait: Pecunia non exigitur ab eo, qui absoluitur quasi pretium absolutionis, sed quasi pena culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus, sic ille. Ceterum idem iuris esse videtur, cum pena imponitur penitenti, qui à peccatis absoluitur.

Illud etiam roget quispiam, An sacerdos simoniæ labe inficiatur, qui Parochiano suo facultatem, qua possit alteri confiteri, sine pretio non impertit? Respondeo cum Siluestro *loco citato*, distinguendum esse. Aut enim recipit pecuniam tanquam pretium facultatis concessæ, & tunc est Simoniæus: aut tanquam partem eius, quod Parochianus esset alteri sacerdoti sponte sua daturus, & tunc nihil Simoniæum admittit.

Quartò quaeritur, An Sacerdos sit Simoniæus, qui potius audit confessionem huius, vel illius penitentis, à quo aliquid se receptorum sperat, quam alterius, quem credit nihil oblatum. Siluester *loco citato, num. 3. in 3. Regula* distinguit: Aut erat alias auditurus confessiones, & sic Simoniæ non committit; quia non accipit pecuniam tanquam pretium sacramenti, nec tanquam lucrum, spe cuius principaliter confessiones audiat; sed tanquam lucrum, quo facilius, & libentius promouetur ad audiendum huius, vel illius confessionem. Aut non erat alioqui confessiones auditurus, & tunc Simoniæus est, quia principaliter spe lucri, & cupiditate audit confessionem, *cap. Quam pio. 1. quæst. 2.* Præterea, qui ratione sui officij cogitur audire gratis penitentium confessiones, nihil lucri potest exigere.

De Simonia, que in dandis, vel accipiendis ordinibus aliquando committitur.

CAPVT V.

In conferendis, & recipiendis ordinibus interueniunt potissimum tres personæ, videlicet persona Episcopi conferentis, & eius qui recipit, & ministri, cuiusmodi est examinatio promouendorum ad Ordines, & Notarius, qui describit in charta nomina ordinandorum, vel scribit literas dimissorias, vel testimoniales.

Deinde appellatione ordinum in præsentis loco, intelliguntur quatuor etiam ordines Minores, & ea, quæ vocantur clericalis tonsura; hæc enim etiam in iure canonico dicitur ordo, *cap. Cum coningat, de arate, & qualitate ordinum.*

Primò quaeritur, An si Episcopus litteras dimissorias dederit pecunia recepta, Simoniæ crimen incurrat? Respondeo, cum incurrit; quia per litteras dimissorias quis ius acquirit, vt possit ab alieno Episcopo ordinari. Idem dicendum est, si Episcopus testimoniales litteras pecunia dederit ordinato clerico, quibus testatur Episcopus se eum clericum ordinasse, vt vbique pro ordinato haberetur.

In Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 1. De reformatione* statutum est in hunc modum: (Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque ex causa, etiam sponte obla-

oblatum, Episcopi, & alij ordinum collatores, aut eorum ministri, quouis pretextu accipiant. Notarij vero in ijs tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, decimam tantum vnius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex notarij commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ, simoniacæ prauitati fauentes, nuncupari possunt, penitus cessando, & interdicendo. Et qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, vltra diuinam vltionem, pœnas iure inflictas, ipso facto incurrant. Sic ibi.

Eiusmodi vero pœnæ continentur in cap. *Placuit*, & cap. *Si quis Episcopus*. 1. *quæst. 1. Ex concilio Chalcedonensi*, cap. 2.

Post huiusmodi Concilij Tridentini decretum, locum habere non potest sententia Glossæ in cap. 1. *De simonia*, assertans, Notarium, si publicum stipendium non habeat, posse licite aliquid accipere sponte oblatum: quæ sententia communis fuit id temporis consensu accepta. Sic etiam Innocentius, *Hofienfis, Abbas* in cap. 1. *De simonia, Angelus in verbo Simonia*, 3. num. 22. *Silu. cod. verb. quæst. 8.* At Trident. Concilium non permittit, vt accipiat, nisi decimam vnius aurei partem, quo literis dimissorijs, vel testimonialibus, vt supra ostendimus.

Item huiusmodi decreto derogatum est ex parte iuri communi, in cap. *sicut Episcopus*. 1. *quæst. 1. vbi habetur*: (Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex pacto, neque exactus, ac petitus, post acceptas chartas, & pallium offerre aliquid cui libet ex clero gratiæ tantummodo causa voluerit; hoc accipi nullo modo prohibemus: quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.)

Sed Tridentina Synodus etiam sponte oblatum, Episcopos, & alios ordinum collatores, aut eorum ministros quouis pretextu accipere prohibet: & Notarijs solum promittit, vt pro singulis literis dimissorijs, aut testimonialibus decimam tantum vnius aurei partem accipere queant, & hanc in ijs tantummodo locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, & dummodo nullum salarium sit eis constitutum pro officio exercendo.

Secundò quaeritur, An simoniæ crimen contraxerit is, qui pactum fecit cum alio clerico beneficiario, vt ad titulum illius beneficii ordinari posset, ei pollicitus se seruatorem illum in demum? Respondeo, eum simoniæ crimen committere. In cap. *per duas 3. de simonia* habetur sic: (Cum quidam vellet in Subdiaconum ordinari, & certum titulum non haberet: quemdam presb. t. ordinari, vt ipsum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret. Quod cum ille facere recusaret, ipse illi sermiter repromisit, quod nunquam, si præsentaret eundem in Ecclesiâ suâ, aliquam peteret portionem; & sic ad præsentationem eius extrit ordinatus: nec se in hoc exegisse aliquid illicitum intellexit. Nisi eum eo, inquit Pontifex, fuerit misericorditer dispensatum, nec ad superiores ascendere, nec in suscepto debet ordine ministrare.) Sic ibi.

Item dicendum est de eo, qui ordinem sacrum suscepit, promittens patrono, qui illum præsentauit, vel ordinato, qui eum ordinauit, se nunquam ab eo aliquid petiturum. In cap. *Si quis, de simonia* sic legitur: (Si quis ordinauerit, seu ad ordinem præsentauerit aliquem, promissionem, vel iuramentum ab illo recipiens, quod super prouisione sua non inquietet eundem, ordinator à collatione, præsentator vero ab executione ordinum perueniam, & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per sedem Apostolicam obtinere me-

rueant nouerint se suspensos.

Item ex cap. *Ex tua, de simonia* patet, eum esse simoniacum, qui aliquid dedit ex pacto patrono præsentatori.

Tertiò quaeritur, An in simoniæ crimen incurrat, qui aliquid ex pacto dedit examinatori, vt ipsum tanquam idoneum approbet ad ordines recipiendos? Respondeo, eum in simoniæ crimen incurrare: quia ex cap. *Nullus, & cap. Presbyteri, & cap. Episcopi, & cap. Quando, & cap. Episcopus, distin. 24.* constat, omnes, qui sunt ad ordines promouendi, examinari prius debere, & præsertim in tribus, videlicet, An legitimam ætatem attigerint: An idoneam literaturam habeant: An morum honestate sint præditi.

Quia igitur examinatio est ad ordines ex iure necessaria, conueniens est, vt qui dat aliquid examinatori ex pacto, simoniaca labe polluat; quia ex pacto sibi viam parat ad ordines.

Si quaeras, An liceat examinatori aliquid accipere sibi sponte oblatum? Respondeo, minime. Ita Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 1.* Quia examinator est minister Episcopi, vel collatoris ordinum: at Concilium ibi prohibet, Episcoporum, vel collatorum ordinum ministros aliquid etiam sponte oblatum quouis pretextu accipere.

Quartò quaeritur, An Titius simoniæ crimen admiserit, pecuniam dando ianitori, vt ei pateret accessus ad Episcopum, à quo literas dimissorias, vel testimoniales peteret, vel ordinem reciperet? Respondeo cum Siluestro in verbo *Simonia* vers. 5. prope finem, & cum Angelo *simonia* 3. num. 25. Titium non admisisse simoniæ crimen, si tantummodo dedit, vt aditum haberet ad Episcopum: quoniam talis aditus, vel accessus non est per se necessario coniunctus cum re spirituali, quam ingressus est Episcopum petiit. Secus vero fuerat, si dedit ianitori, vt per ipsum patrociniū, suffragium, & fauorem habuisset apud Episcopum, quò rem spiritualemp impetraret.

De Simonia, quæ in re diuina facienda committitur.

CAPVT VI.

PRIMò quaeritur, An Sacerdoti liceat maiorem soluta elemosinam exigere ob rem diuinam factam? Respondeo, non esse licitum exigere, quandocunque elemosyna taxata fuerit, vel consuetudine, vel auctoritate superioris. *Sotus lib. 9. de iustitia, quæst. 2. art. 2. & quarto distinct. 12. quæst. 2. art. 1. Nauar. in Manuali, cap. 23. num. 92. & 100. & sequen. & consil. 6. De celebri Missa. Corduben. in quæstionibus, lib. 2. quæst. 4.* Et ratio est; quia eiusmodi elemosyna taxari potest, vel consuetudine recepta.

Quæres, An tuta conscientia possit recipere elemosynam gratis oblatam? Respondeo, si is qui offert, sciens ac prudens offerat maiorem soluta, fas esse sacerdoti eam accipere; quia & is qui dat gratis, & liberaliter offert, & Sacerdos accipit tanquam gratis, & liberaliter sibi datam.

Secundò quaeritur, An Sacerdos qui Parochi non est, si pauper sit, duo possit stipendia accipere, vbi vnum stipendium consuetum ad diuinum victum non sufficit, cum tamen vnum tantummodo faciat Missæ sacrificium pro duobus, qui duo stipendia desiderunt, vt factis operaretur. *Sotus lib. 9. de iustitia, quæst. 3. art. dub. 3.* an eum tuto id posse facere, dummodo non plura recipiat, quam duo, quæ ad quotidianum victum sufficerent: quia qui altari seruit, de altari viuit: & [*Qui seminat spiritualia, carnalia metit*, 1. *Cor. 9.*

Addit etiam Sotus, id licitum esse Sacerdoti diuiti quia si vnum stipendium consuetum non satis est ad cibum quotidianum, iure suo vitus, si duo suscipiat. *Cantus lib.*

12. De locis Theolog. cap. 13. ad decimum argumentum dicit, Sacerdotem siue pro paucis, siue pro multis celebret, cibum vitæ necessarium expetere suo iure posse; quem si vobis non dederit, nulli faciet iniuriam, si eum accipiet à pluribus.

Soti sententiam confutant Nauarrus in *Manuali. cap. 25. Num. 92.* & Corduben. In *quæstionibus, lib. 1. quæst. 4. dub. 2.* Nam huiusmodi sacerdos peccat primo, præsertim, qui aliunde habet, vnde commodè viuat: quia plus accipit, quàm sit solitum dari, & accipi.

Secundò, quia non tot sacrificia facit, & offert, quot debet, & fraudat Ecclesiam suffragijs, nam quo plura sacrificia fiunt, eo magis viui iusti, & qui igne purgantur animi priorum adiuantur.

Nec refert, si presbyter pauper sit, quia ij, qui pecunias, & stipendia dant, vt pro ipsi Sacerdos sacrificium offerat, nullo iure coguntur ipsum alere: eo quod secundum Cautones Presbyter ordinari non potest, nisi habeat, vnde commodè sustentetur. quod si pauper sciente Episcopo ordinetur, cogitur Episcopus ei alimenta præstare, *cap. Cum secundum Apostolum, de præben.* Si vero in scio Episcopo, sibi impeter, & aliunde sibi victum quærat, *cap. Clericus victum, dist. 91.*

Verum enim vero (pace eorum dixerim) non admodum firmis argumentis Soti opinionem resellunt; quia Sotus solum ait, id esse licitum Sacerdoti, vbi pecunia dari consuetudine non sufficit ad quotidianum sacerdotis cibum; secus esse, si sufficeret, & Sacerdos beneficium non habens, & in altari feruens, debet ex altari viuere; quia nemo suis stipendijs militat. *1. Cor. 9.* At non video, cur is, qui dum pauper erat, ordinatus est Sacerdos, possit exigere vltra id, quod dari solitum est Presbyteris rem diuinam facientibus, siue missæ sacrificium offerentibus: is enim, qui petit, vt pro se Presbyter Missæ sacrificium faciat, iure non cogitur pecuniam dare, nisi tantam, quanta dari solet, & Sacerdos recipiens plus, quàm consuetudine est dari recipit plus, quàm iustum est, & plus, quàm sibi debetur, & eo ipso alienum sibi sumit.

Si opponas, Qui altari inseruit, ex altari viuunt. Item clericus ex patrimonio Christi sustentari debet, *cap. Cum secundum Apostolum, de præben.* Ergo si stipendium vnum non sufficit ad victum Sacerdotis rem diuinam facientis, potest ille suo iure vi, & duo stipendia, quæ sufficiant ad cibum, & vestitum accipere; Respondeo, eum qui sic argumentatur, in multis peccare.

Primo, quia id, quod datur Presbytero, Missæ sacrificium facienti, siue vt stipendium laboris, & operæ, siue vt alimentum, siue vt elemosyna datur, amplius esse non debet, quàm sit legitima superioris auctoritate, vel consuetudine taxatum: nam superior, vel communis consuetudine iure statuere potest, quantum offerri, & dari debeat Presbytero facientis.

Secundò peccat, quia Clericus, qui pauper est, eo ipso quod sponte ordinem suscepit, sese ad officium, quod ordinem sequitur, obligauit: quod si ex officio sustentare nequit; non video, cur alij cogantur ei victum præbere, siquidem ipse debet eum aliunde sibi comparare. Quod si postquam ordinatus est, in paupertatem incidit, nihil impedit: nam vir etiam post matrimonium in paupertatem deuenire, curare debet, vt vxor alatur. *Glossa, in cap. Clericus victum, dist. 91.*

Tertio peccat, quia iustum non est, vt Sacerdos, qui operam suam locat tantummodo ad semihoram, in qua totum missæ sacrificium absoluit, exigat integrum cibum diurnum, cum tantum per semihoram laboret.

Quarto, quia si pauper Sacerdos potest exigere plus, quàm est vel à superiore taxatum, vel consuetudine institutum, poterit etiam diues Sacerdos tantumdem accipere; quia sibi debetur, vt alimentum, siue stipendium: non enim cogitur ex suo patrimonio, quod habet, viuere, siquidem altari inseruit.

Immo consequens esset, vt Sacerdos tuta conscientia

posset exigere tot stipendia, quot essent sibi necessaria ad parentes suos, & alios domesticos, & familiares honorum mopes alendos, & sustentandos.

Si utrum obijcias ex Caietano, *3. Par. quæst. 79. art. 5.* Missæ sacrificium est infiniti valoris, & pro pluribus oblatum, non minus prodest singulis, quàm si pro vno quoque eorum singulariter offerretur. Item in *cap. Non mentocriter de consec. dist. 5.* ex Hieronymo habetur: (Cum pignus pro cunctis animabus psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro vno quolibet ipforum diceretur, accipitur.) Accedit, quod Angelus in *verbo Missæ, Num. 52.* Siluester eodem verbo. *1. quæst. 9. ad finem.* Arnilla eod. verbo. *Num. 33.* dicunt: Quando Sacerdos prebibus multorum, quorum quisque petijt, vt pro eo rem diuinam faceret, vnum Missæ sacrificium offert, non minus quisque illorum participat, quàm si pro illo solo fieret sacrificium, eo quod quisque participat plus, minus ve, pro vt maior minor ve est illius affectus erga Missæ sacrificium, propterea quod affectus vnus non impedit affectum alterius, & non plus calefactio pauciores ab vno igne, quàm plures ab eodem igne: nec minus luminis accipiunt plures candelæ, si accendantur ab eadem candela, quàm si vna tantum accenderetur: nec minus auditur vox vnus plures docentis, quàm si ab vno tantum audiretur: & cum plures ad idem sacramentum accedunt, quisque partem accipit sacramenti fructum, pro maiori, minori ve mentis affectu, quo ad sacramentum accedit: & in eodem speculo non minus representantur plures, quàm vnus.

Alioqui enim fatuus esset interesse Missæ sacrificio, in quo pauci interfunt, quàm in quo multi adsunt: quod est falsum. Respondeo etiam illorum opinionem sequeremur, qui censent, Missæ sacrificium infinitum effectum habere, non esse tamen licitum Sacerdoti minorem solita pecuniam accipere: quia plus accipit, vt dixi, quàm sit debitum, & solitum dari.

Deinde, quia tot sacrificia debet, quot promissit facturum, siue quod petierunt, vt faceret, qui pecunias dederunt, siue obtulerunt. Et Sotus patitur concedi licitum non esse Sacerdoti à pluribus pecunias accipere, si vnicuique promissit se pro illo solum sacrificium facturum, quia tunc contra fidem datam faceret, si pro pluribus vnum Missæ sacrificium offerret.

At meo iudicio, qui dicit Titio, se pro illo sacrificium, eo ipso videtur dixisse, se pro illo totum sacrificium oblatum.

Quid si modicum fuerit, & tenue, quod offeratur stipendium? Respondeo, etiam tunc non posse plura capere, quando tantum est, quod offeratur, quantum superioris auctoritate, vel consuetudine taxatur.

Quod si vnus aliquis minus solito obtulerit, tunc Sacerdos, aut id non recipiat, aut si receperit, & fecerit sacrificium pro eo, postea non eat, & cogat auctoritate superioris legitimi, vt consuetudine, & debitum stipendium det, & laudabilem consuetudinem seruet: quia factio iam sacrificio, ille ex iustitia debet stipendium dare solitum, non quidem, vt pretium sacrificij, sed vt stipendium laboris, & operæ, vel vt elemosynam legitimam superioris auctoritate, aut consuetudine debitam. Nauarr. *consil. 8. de celebrat. Missæ, ad finem* ait: Si tanta esset paruitas pecuniarum, sine elemosynæ, vt iuste præsumi posset, quod is, qui dat, non dat eam, vt tota vna Missa ei applicetur, sed tantum aliqua pars eius, quæ Sacerdoti videbitur; pars tantum ei applicabitur.

Quæres, An Sacerdos, qui promissit Titio se sacrificium pro illo, & deinde promissit Caio, & postea Scio, satisfaciat, si vnum tantum Missæ sacrificium faciat, & offerat pro illis tribus? Paludanus in *4. dist. 45. quæst. 2. art. 2. conclus. 5.* respondet, minimè, nisi exculcetur vna ex quinque causis.

Primo, si sacrificare non possit pro singulis, puta si Collegium Clericorum, vel monachorum non potest tot sacrificia facere; quia debet pro multis alijs offerre, aut si

Monachus nequeat tot sacrificia offerre, quia auctoritate superioris iubetur pro aliis sacrificare.

Secundo, si consuetum sit, vt Sacerdos, à quo plura sacrificia petuntur, pro aliis quoque offerat, vt eum à Parochis, vel Canonici, pro aliis facturis sacrificia, aliqui id scientes petunt, vt pro se sacrificium faciant: quoniam sci- entia, & volenti non fit iniuria.

Tertio, si expressè ita pactum fuerit, vt pro multis vnum solum sacrificium offerat: quia contractus ex conuentione legem accipiunt.

Quarto, si Sacerdos aliis suffragiis compenset.

Quinto, si suppleat, quia magno animi affectu offert pro illis tribus simul. *Idem docet Sil. in verb. Missæ. l. quest. 20. Arml. eod. verb. num. 35.* Addit Sil. sextam caulam, si Sacerdos sacrificet, quia quisque illorum petit, vt pro se sacrificaret, quia dicit Sil. quando Missæ sacrificium offer- tur pro pluribus, qui sunt etiam offerentes, eo quod pete- runt, vt pro ipsi sacrificium fieret, tunc quisque participat sacrificii effectum iuxta suæ pietatis affectum, & non mi- nus plures participant, quam si pauci essent: at quando of- fertur, & ipsi non sunt offerentes, quia nullus eorum petit à Sacerdote, vt pro eo sacrificium offerret, tunc minus pro- dest singulis sacrificium pro pluribus oblatum, quam si pro vno tantum fieret. Et hoc modo conciliantur illæ opinio- nes contrarias.

Mihi non placet hoc ratio conciliandi: quia portio, quæ arbitrari minuiti sacrificantis dispensari debet, est finita, at finitum diuisum in plures minus est in singulis.

Secundo, quia ea videtur esse mens petentis, vt pro ipso Missæ sacrificium offeratur, vt ei tota ea portio applicetur, quæ arbitrio sacerdotis est dispensanda.

Tertio, quoniam licet, quando plures interfunt in vno Missæ sacrificio, vel plures petant simul, vt pro ipsis fiat vnum Missæ sacrificium, quibus illorum plus, minusve parti- cipet effectum sacrificii, pro vt maior, minorue est singulorum affectus, & affectus vnus non impedit, aut minuit affectû alterius: at portio illa, quæ arbitrio Sacerdotis dispensatur, minor est in singulis, quando in plures distribuitur.

Quarto, quia vsus, & mos Ecclesiæ habet, vt Missæ sac- rificium specialiter pro hoc, aut pro illo offeratur, & vt pro vno tot, videlicet decem, viginti, aut triginta sacrificia fi- ant, & qui moruntur, præcipere solent, vt pro se sacrificia in certo numero offerantur.

Tertio quaeritur, An si quis petat à Sacerdote, vt multa pro eo sacrificia faciat, & non det pecuniarum stipendium consuetum, hoc est, si det minus, quam multa sacrificia ab eo petita requirunt, fas si illi Sacerdoti pauciora pro illo sac- rificia facere, nimirum tot, quot respondent stipendiis ac- ceptis? Respondet Cordub. *in quest. l. i. quest. 4. dub. 1.* licet possit Sacerdotem sacrificiorum numerum minuere quo quantitate elemosynæ dari solita.

Cæterum idem auctor postea respondet: Sacerdos post peracta Missarum sacrificia, ordinari officium imploret, qui curet, vt sibi elemosynæ consueta detur: ordinarius e- nim potest ad id laicum cogere, videlicet, vt laudabilem cõ- suetudinem seruet, & tantam elemosynam det, quanta sa- crificiis iam factis respondet. Quid, si ordinarius aut non possit, aut nolit id officium præstare, aut laicus plus ele- mosynæ recuset dare, siue elemosynæ iam datæ quantita- tem auget? ius ne tunc erit Sacerdoti compensationis be- neficio vsi, & ex bonis laici tantumde clam accipere, quan- tum illi date debet? Cordub. videtur innuere, in hac par- te locum esse compensationi, quia ex iustitia debetur eius- modi stipendium, & Sacerdoti officio Iudicis, vel aliter illud obtinere non potest.

Quarto quaeritur, Quid sit facturus Cappellanus, siue Beneficiarius, cuius capellania, vel beneficium certû sa- crificiorum numerum requirit, cum tamen redditus annui non æquent elemosynam dari solitam? Respondeo, eum priuata auctoritate non posse sacrificiorum muneris minue- re, nec eam potest vniquam testatoris voluntatem muta- re, nam hoc est proprium Principis, nec Princeps itidem,

siue causa vltimas defunctorum voluntates mutat?

In Concil. Trid. *sess. 25. cap. 4. de reform.* statutum est, vt Episcopi in synodo diocesana habeant facultatem decer- nendi quicquid magis ad Dei honorem, & cultum atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire: ita tamen vt eor- um semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro sua- rum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerunt. Eandem facultatem eodem in loco, quem attulimus, tri- buit Concilium Abbatibus, & Præpositis ordinum regula- rium, qua possint idem, quod Episcopi statuere cum cõsilio capitulo Generalis.

Quinto quaeritur, An Romani Pontificis auctoritate concedi queat, vt in Ecclesiis Canoniorum, vel Beneficia- riorum, vel in cœnobis Religiosorum plures elemosynæ accipiantur, & nihilominus vnum tantummodo sacri- ficium offeratur pro iis omnibus, qui elemosynas dede- runt.

De hac quaest. Cordub. *l. i. Questionum. quest. 4. dub. 3.* Respondeo, non esse idem inuicem numerum sacrificio- rum, quæ in aliqua Ecclesia, vel monasterio fieri deberent iussu aut voluntate defuncti, quod sit iudicare, vt in aliqua Ec- clesia, vel monasterio plures elemosynæ accipiantur, & v- num tantum sacrificium fiat. Nam Rom. Pontifex, tanquã supremus Ecclesiæ Princeps, habet potestatem vltimas de- functorum voluntates iusta de causa mutandi. Vnde si cer- tæ aliquæ Ecclesiæ Clericorum, vel Monasteria Religioso- rum essent tanto numero facientium sacrificiorum que- rata, vt ei commodè satisficere nequere, posset statuere, vt tantus ille numerus ad minorem restringeretur.

Cæterum non ita potest occurrere iusta causa, vt Sumus Pontifex huic, vel illi Ecclesiæ, vel monasterio facultatem concedat plures elemosynas accipiendi in futurum, & v- num tantum sacrificium offerendi pro illis, qui dederint. Aliud enim est numerum sacrificiorum, quæ defuncti faci- enda curarunt, restringere, aliud verò facultatem tribuere, vt in futurum plures solito elemosynæ accipiantur.

Nam primum iusta de causa fieri potest, eo quod cursu temporis, vel Clericorum, vel Religiosorum numerus di- minuatur, vel vt Ecclesiæ, aut monasterii redditus tenuio- res reddantur, aut denique impense maiores fiant.

In secundo verò casu fas est constituere, vt eleemo- synæ, quæ Sacerdotibus sacrificantis erogantur, si tenues esse videantur, maiores in posterum erogentur. Cordub. in loco citato concedit, posse etiam iustam causam contingere, vt Romani Pontificis auctoritate facultas concedi que- at certæ Ecclesiæ, vel monasterio accipiendi plures, aut ma- iores solito elemosynas, & nihilominus vnum tantummo- do sacrificium offerendi.

Sexto quaeritur, An si Titius Sacerdoti plures pecunias dederit, vt curet pro eo plura sacrificia offerenda, ius sit ta- li Sacerdoti sibi sumendi aliquid ex huiusmodi pecuniis, tamquam stipendium laboris, & opera suæ in quaerendis presbyteris, qui sacrificia faciant. Sorus *l. 9. de iustitia qua- sition. 3. arti. 1. censet*, id iuris habere Parochum siue pro- prium Sacerdotem, non autem alienum: quia si sit proprius Sacerdos, videtur posse id accipere ratione muneris, & officii, quo fungitur: alienus autem Sacerdos nihil potest accipere, quia ad eum non attinet ratione officii curate, vt sacrificia fiant: Nauarrus autem *in Manuali cap. 25 qua- sition. 95.* Cordub. *l. i. quest. 4. dub. 5.* & Maior *in 4. di- stin. 25. quest. 3. vers. Dubitatio secundo*, sentiunt nec proprium, nec alienum Sacerdotem posse, cura conscientia quidquam accipere, quia vel Presbyteros, quorum mini- stero sacrificia fiunt, ius elemosynas desiderat, vel illos qui elemosynas dederunt pro sacrificiis faciendis. Nam si ex elemosynis aliquid sibi sumit, eo ipso minor solito ele- mosynæ ad Presbyteros sacrificantes perueniet, quia non dat illis solitam elemosynam: si verò faciat, vt pauciora sacrificia offerantur, eo quod sibi aliquid ex elemosynis feruat, tunc iniuriam facit illis, qui elemosynas dederunt, nam petierunt illi, vt plura sacrificia fierent, quam facienda ipse curat.

Alicubi autem auctoritate superiorum statutum est, vel consuetudine receptum, ut Parochus aliquid sibi retineat, tamquam stipendium laboris, & operæ in quærendis Presbyteris, qui sacrificia faciant.

Septimo quaeritur, An ordinarii locorum statuerent queant, ut laici tantam elemosinam, & non minorem dent pro sacrificiis, quæ petunt, ut pro se faciat? Sorus, *lib. 9. de Iustitia, quaest. 6. art. 1. ad 2.* negat id licite fieri: cuius sententia videtur esse, S. Tho. in 2. 2. q. 100. ar. 3. ad 2. Idem etiã docuit, Nauar. in *Manuali, cap. 23. num. 106.* quamvis Cordubens. *lib. 1. quaest. 4. dub. 4.* videatur asserere, aliquando id posse ab ordinariis constitui, quia sicut laici compelli queunt, ut post facta, & oblata pro ipsis Missæ sacrificia consecras elemosynas dent, & laudabilem consuetudinem seruent, iuxta id, quod habetur in cap. *Ad Apostolicam, de simonia*: ita etiam potest superiorum auctoritate constitui, ut consuetam elemosynam dent, & non minorem.

Cæterum verius est oppositum, quia, ut ait S. Thomas, post spiritualia collata, merito exiguntur, ut laudabilis consuetudo offeratur elemosyna: at vero antequam spiritualia se minerent, carnalia, & temporalia ex pacto, vel statuto exigere non debent, id enim contra Canones videtur esse.

Quæres, An possit ordinarius constituere, ne Presbyter minorem elemosynam accipiat, quam sit consuetudo? Respondeo, minime: hoc enim esset adiutum occludere liberalitati, pietati, & caritati Sacerdotum, cum possint illi liberaliter remittere ex toto, vel ex parte elemosynam, dati solitam. Possunt quidem ordinarii sua auctoritate taxare elemosynam, sicut etiam consuetudo eam alicubi taxat: at constituendum non est, ut Clerici tantam accipiant, & non minorem, vel ut laici tantam dent, & non minorem, in his enim duobus est nonnulla auaritiæ species. Ex his item solent laicorum offensio oriri. Præterea si is, qui peti, ut pro se sacrificium fiat, & quia pauper est, modicam elemosynam offert, non est, cur repellatur, vel plus ab eo exigatur: dat enim, quod habet, nec in idem est, cur Sacerdos liberaliter spiritualia seminare prohibeatur: quia etsi alioqui pauper est, aliunde tamen, quam ex Missarum sacrificiis potest vitium commodè sibi conquirere, & comparare, si vult.

De Simonia, qua in Beneficiis Ecclesiasticis conferendis, vel impetrandis committitur.

CAPVT VII

PRIMO quaeritur, Quandonam in eligendis Beneficiis simonica prauitas admittatur? Respondeo, Concilium Tridentinum in *sess. 24. cap. 14. De reformat.* prohibuisse, ne quid pecunia accipiatur aliquo modo, pacto, aut consuetudine ex titulo quocumque Beneficii Ecclesiastici, siue pro electione, vel præsentatione, nominatione, institutione, collatione, confirmatione, prouisione, admissione ad possessionem Beneficii.

Simonica igitur est electio, si Titio, infcio, Caius, vel alius dederit pecuniam electori, ut Titius eligatur. *cap. Nobis cap. Regularibus. cap. Mattheus de simonia, & Titius sic electus, Sacerdotium dimittere ipso iure compellitur, cap. Mattheus modo citato.*

Quid si renuente Titio, Caius pecuniam dederit? Respondeo, etiam tunc electionem Simoniacam censeri, *Glossa, Hostiensis Romanus in cap. Nobis, & cap. De regularibus de Simonia*: etiam si alioqui Titus esset eligendus, ut *Siluester ait in verbo Simonia, quaest. 13.* Hæc autem locum habent, quando Caius sine dolo, & fraude pecuniam tradidit pro Titii electione: nam si data fuerit ab eo pecunia dolose, ut Titii electioni noceret, pro Simoniacâ electione non habetur, ne Caius ex dolo commodum reportet, *cap. Nobis de simonia.* Secus etiam esset, si pecuniam Caius daret post electionem Titii confirmatori, pro confirmatione, bene-

ditione, aut consecratione, pro Titio, qui est electus, repugnante, *e. Sicut tuus, de simonia*, vel ignorante, ut ait *Siluester supra dictus*, quia nihil ei nocent, nisi à contra dicendo desisterit, voluntate mutata, vel nisi postea consenserit soluendo pecuniam pro illam, vel restituendo solitam *cap. Sicut tuus, nuper allato, vel nisi Caius, qui pecuniam dedit, fuerit consanguineus, ut dicit Siluester.*

Est itidem Simoniacâ electio Titus, si pro suffragio, siue ut dicunt, pro voce electoris, Beneficium promittatur *cap. De hoc de simonia.* Principes itidem, & alii quilibet laiculares, recipientes pecuniam, ut tanquam patroni in electione consenserint, si ut eam ratam habeant, Simoniaci proculdubio sunt. *Abb. in c. De hoc, de simonia*: & testare debent accepta Ecclesiâ, in qua est Beneficium, quamuis nõ sit ex illius Ecclesiæ bonis beneficium constitutum, *cap. De hoc, de simonia.*

Insuper simonica peccatum admittitur, cum aliquod datur, vel accipitur etiam post electionem Titii, in modo etiam post confirmationem, vel collationem beneficii, pro inductione, vel immisione eius in corporalem possessionem Beneficii. *Abbas, & alii in cap. In tantum de simonia*: quia per corporalem beneficii possessionem ius quoddam acquiritur, videlicet admittitatio.

Quæres, quid dicendum, si postquam est Titius ad Beneficium electus, plurium electorum suffragio, pecunia data sit alicui, electioni contradicenti, ne repugnando electi vexet, vel electionem impedit? Respondeo, dendum nõ cetero simonica labere, ut colligitur ex *c. Mattheus de simo.* Nã alius electoribus liberum ius est contradicendi, excipiendi, & opponendi aliquid contra electionem, vel quia forte sunt neglecti *cap. Quod sicut de elect.* vel quia forte electus fuerat corrupte, *Glossa in cap. Mattheus de simonia.*

Sed quid, si contradicant ceteri electores non iure, sed facto tantum? an simoniam committit electus, si pecuniam dederit, ne contradicant? *Pauorm. in c. Mattheus de simo.* dicit eum non committere simoniam secundum *Glossa ad secundum Innocentium*, committere. Cuius, inquit, sententia mihi placet. Ita dicendum existimo: quia is, qui eligens, nõdum ius quæstum habet, donec enim confirmetur auctoritate superioris, in Beneficio ius non habet, quamuis ex electione ius acquisierit petendi confirmationem. Secus esset, cum quis ius eligendi non habens, contradicere, vel electionem impedit: is enim iniquè vexat electum, & potest ea vexatio pecunia redimi.

Si roges, An possit etiam, iura conscientia, Titius electus pecuniam offerre confirmatori, ut electionem iam factam confirmet, vel ne contradicatur? Respondeo, minime, quia per confirmationem plenam ius in beneficio acquiritur. Deinde, quia ius per electionem quantum, adhuc est reuocabile, vel confirmabile, ergo confirmatione ius est confirmandi, vel reuocandi electionem.

Ad verò nullum esset simonica crimen, si electus mitteretur in carcerem, vel per vim detineretur, ne confirmatorem posset adire, & ad hanc vim repellendam, pecuniam daret. *Sorus. l. 9. de Iust. quaest. 6. art. 1. ad 3.* Nec simonia iudem est, si pecunia detur eum ob finem, ne quis elector ius per vim in carcere, vel domi suæ deinceps, ne possit suum suffragium ferre, ut ait *Sorus loco citato.* Insuper si pecunia detur, ne quis beneficio dignus, per vim impediatur, ne possit beneficium petere. *Sorus ibidem.*

Secundo quaeritur, An simonica crimen admittat Titius cum sua bona alicui tradit Ecclesiæ, ut Canonicus in ea fiat, & ex illis bonis instituat præbendam, quam vocant, sibi que conferatur? Respondeo, eum simoniam admittit, *cap. Tua nos de simonia*, quia bona sua dat eo pacto, ut in Canonicum eligatur. Et quamuis ex bonis eius instituat, & conferatur sibi præbenda, attamen spirituale ius acquirit, quoniam eo ipso, quo fit Canonicus, habet suffragium in collegio Canonicorum, hoc est, ut dicitur, in Capitulo, & locum ad sedem in choro, & ius, quo possit ad ordines promoueri.

Non autem in Simonica peccatum incidet, si gratis, &

liberabiliter sua bona donaret, & postea peteret, vt in Canonico admittetur, & Canonici abfoluere, & gratis cōfentirent.

Præterea Simonia non esset, si auctoritate, & consensu Episcopi retineret sibi potestatem perficiendi Clericum ad præbendam ex suis bonis in Ecclesia institutam: tunc enim nihil aliud peteret, nisi ius patronatus in Canonico, & præbenda ex suis bonis instituta. Ius autem patronatus consensu, & auctoritate Episcopi, potest secundum Canones, & iura concedi.

Quid, si Titius absque illo pacto expresso bona sua tradidit eo animo, & voluntate, vt Canonici fieret, non traditurus alioqui nisi id futurum esset? Respondeo, eum traditurum esse mente, non re, *cap. Tua nos de Simonia*. Idem dicendum est, si Canonici eum in ea Canonico admiserint, sine illo quidem pacto, sed non aliter recepturi, nisi ille sua bona conferret: tunc enim Simoniā mente animo, & committeret, *cap. Tua nos, iam citato*.

Non est etiam Simonia, cum quis ad Beneficium admittitur ea conditione, vt sustineat onera, vel præstet ministraria, & obsequia, quæ sunt ipsi Beneficio imposta, *cap. Significatum de præben. & Glossa, & Doctores ibidem, & Glossa in cap. Significasti, de elect.* tunc enim à Beneficiario iure exiguntur, quæ Beneficio requirit, & postulat. Vnde quando vacat Beneficium, teste Auctore *Glossa in cap. Significatum, superius allato*, Praepositus, & Collegiū Canonico, si instruerent, vt qui ad illud Beneficium admittetur, hoc, aut illud onus subiret, videlicet bis, vel ter in hebdomada rem diuinam faceret, tunc eiusmodi onus ad tale Beneficium transiret, quia res cum suo onere transit. *l. Si conuerit, ff. De pignorat. actio. §. 1. & cap. Ex litteris, de pignori. & l. De usufructu legato. & l. Si penitentes, §. penult. ff. De usufructu.*

Tertio queritur, An Simoniacus sit Titius, pecuniam dando ad impediendam Caii indigni electionem? Respondeo, quodam in hac re ita distinguere: Aut Titius dat solum eo animo, vt impediatur ne is, qui indignus est, eligatur, aut dat, vt dignus eligatur, siue vt ei via ad Beneficium paratur.

Si secundum, Simoniacus est Titius, si primū Simoniā eis non videtur esse. Nam in primo casu pecunia datur, vt indigni electio impediatur, in secundo vero traditur pecunia, vt fiat digni electio, vel ad eam via muniat, at Simoniā cum est pecuniam dare, vt electio fiat.

Idem dicendum est, inquit, si Titius pecuniam dedit, ne Scius, qui est minus dignus, ab electoribus eligatur. Nam aut dat pecuniam, aut Caius dignior, quam Scius eligatur, & sic est Simoniacus, aut dat, vt impediatur electio Scii, digni quidem, sed minus, quam sit Caius, & tunc Simoniā peccatum non est, quia solum pecunia datur, ne in electione qui minus dignus est, præferatur. Caietanus in *Opuscul. tomo secundo Tract. 9. quæst. 3.* fatetur, licitum esse pecuniam redimere vexationem Ecclesiæ: vt si electio indigni esset grauitè nocitura Ecclesiæ, posset licitè quis pecuniam dare, ne illius electio fieret, non autem vt dignus eligeretur. *Sorus lib. 9. De iustitia, quæstion 6. art. 1. ad quintum,* concedit, in eo casu etiam licitum esse pecuniam offerre, vt dignus eligeretur, vt si tantum vnus dignus, & alter indignus esset, quia in eo casu sicut ad redimendam vexationem Ecclesiæ fas esset pecunia impedire, ne indignus eligeretur, ita etiam licet pecuniam dare, vt eligeretur dignus. Secus vero, inquit, esset, si multi digni esset: item, si fuissent duo, quorum vnus dignus esset, alter vero dignior, & magis idoneus, sed verior est Caietani sententia.

Simonia etiam vitio non caret, cum electores sibi inuicem dicunt: Placeat tibi pro meo amico suffragium ferre, & ego pro tuo vicissim feram, vel sicut dicat: Nunquam me uiuente fiet Canonice Scius in hac Ecclesia, nisi fiat Caius, pro quo ego rogauit. Vel si dicat: Tu exaudiris es in electione Caii, ego quoque exaudiri debeo in electione Titii. *Siluester in verbo Simonia, quæst. 13. vers. 4.* Si vero

consuetudine receptum esset, vt exaudito vno in vna electione, alter exaudiretur in alia, tunc absque simoniæ labe posset quis petere, vt eiusmodi consuetudo seruetur. *Siluester loco proximo citato.*

De Simonia, qua committitur in resignationibus Beneficiorum.

CAPVT VIII.

CERTI iuris est, Clericum beneficium suum dimittere non posse, nisi Episcopi consensu. *cap. Admonet de renū.* quod si dimiserit, inscio Episcopo, vel inuito potest auctoritate Episcopi reuocari, & nisi redierit ad monitus, excommunicationis sententia puniri. *cap. Si qui verò 7. quæst. 1.*

Primo queritur, An Simoniacus sit, qui suum beneficium resignat, siue dimittit pecunia recepta? Ratio dubitandi est, quia is beneficium non dat alteri, sed tantummodo dimittit, & superior, cuius consensu sit resignatio, confert in alium Beneficium resignatum? Respondeo, eum Simoniā esse, quia resignatio est veluti via ad Beneficium acquirendum: quare Titius (V. g.) dando pecuniam, vt Caius suum Beneficium resignet parat, & aperit sibi viam ad Beneficium impetrandum. Vnde pecunia sternit viam illam, & aditum ad Beneficium, vt Caius recipiendo pecuniam, vendat Titio viam ad Beneficium.

Secundò queritur, An Simoniā committat Titius, suum Beneficium dimittens, siue resignans in gratiam, & fauorem Caii, hoc est, non aliter dimittens, nisi Caius conferatur? Respondeo, Titium simoniā committere, saltem Canonico iure prohibita: quia omnis pactio, & conuentio in spiritualibus est simoniaca. *cap. Quam pio 1. q. 2. cap. vlt. de pactis.* Nam quæ spiritualia sunt, gratis conferuntur. Huicmodi quidem resignatio in curia Romana fuit aliquando Romanorum Pontificum consensu permilla, eum videlicet coram Romano Pontifice sic fiebat: Resigno beneficium in fauorem Titii, & non aliter, nec alio modo. Cuius clausulæ sensus erat, vt nisi alteri, quam Titio conferretur, non conferretur beneficium resignatum. Permittebatur autem hæc resignatio, quia fiebat coram summo Pontifice, annuente, hoc est, ratam, & acceptam resignationem habente, quam resignans nominabat. Resignanti indulgebatur, vt hunc, vel illum nominater promouendum à Pontifice.

Sed meritò deinde eiusmodi resignatio est sublata, vt omnis beneficiorum resignatio fiat pura, & simpliciter, non ex pacto, conditioneue vlla adiecta, & ne quis in Beneficio successorem designet, quod est contra Canones.

Tertio queritur, An Titius iure communi sit Simoniacus, si beneficium resignauerit in gratiam, & fauorem Caii coram Ordinariis locorum? *Sorus lib. 9. de iustitia, quæstion 7. arti. 2. conclus. 1.* affirmat, iure communi Canonico talem resignationem Simoniā non esse. Ita *Couarr. lib. 1. Varia. resolutionum, cap. 5. num. 4. & 5.* Sic etiam *Staphileus in Tract. de liste. gratia tit. de variis modis vacationis vers. Posset tamen, num. 28.* ubi sentit, iure communi esse permillum, sed curiæ Romanæ vsu, & stylo prohiberi, ita vt solum coram Romano Pontifice fieri queat.

At multò vetius est, eam resignationem esse iure communi prohibita. Sic *Glossa in cap. Ordinationes 1. quæst. 1. & in cap. Ex parte 1. De off. c. iud. de leg. & in cap. Cum pridem, de pactis. Abbas, in cap. Cum vniuersorum de rerum permuat. Praepositus, & Archidiaconus, & alii in cap. Ordinationes, 1. quæstion 1. Felinus in cap. Ad audientiam de rescript. Cassiodorus de renū. cler. 1. & 2. De simonia. Robuffus in Praxi Beneficiorum par. 3. tit. De pura resignat. Silu. in verb. Renuntiation. n. 7. Tabern. eod. ver.*

bo num. 4. *Naturus in Manuali cap. 23. num. 107.*

Hæc opinio est vera, nam omnis conventio, & pactio in spiritualibus, vel quæ sunt spiritualibus annexa, iure communi prohibetur, *cap. Cum pridem. & cap. vlti. De pact. & cap. Quæsitum, de rer. perm.*

Quæritur, An iure diuino Simoniacus sit, qui Beneficium suum resignat ex pacto, vt Caio detur? Sotus, Couatru. & Saphil. *locis supra citatis*, aiunt eum non esse Simoniacum ex natura rei, siue iure diuino, sed solum vsu, & stylo curæ, quæ talem pactiõnem non permittit. Ratio eorum est, quia si eiusmodi resignatio esset Simoniaca per se, & simpliciter, non posset Romani Pontificis auctoritate permissa, cum tamen aliquando permissa fuerit, vt testatur *Cassiodorus, De renunt. docif. 3. & De Simonia. decif. 2.*

Quidam dixerunt per se, & absolute Simoniã eam esse, eo ipso, quod sit ex pacto, nisi pacto excludatur auctoritate legitima superioris, vt reuera excludi potest à Pontifice, quia iure diuino prohibemur spiritualia, vel quæ spiritualibus annectantur, quatenus talia, aliter quam gratis dare, & accipere, *Matthæo 10.* Ergo iure diuino, & naturali prohibetur quis Beneficium suum, quatenus Beneficium est, ex pacto dimittere, vt aliquid obsequii, commodi, & muneris recipiat. At, qui Beneficium resignat ea conditione, vt in Caium conferatur, recipit munus ab obsequio: nam in gratiam, & fauorem ipsius Beneficium Caio confertur, nec Romanus Pontifex concedere potest, vt Beneficium ex tali pacto resignetur, nisi talem pactiõnem irritam, & inane reddendo.

Dicendum est, talem resignationem Simoniã non esse absolute, & simpliciter, sed tantum iure Canonico prohibitam, quia is, qui ita resignat, conditionem apponit, vt Beneficium, v.g. Caio detur, aliter non resignaturus, & conditio in spiritualibus iure communi vetatur.

Quæritur si talis resignatio coram Summo Pontifice fiat, tunc pactio vim, & locum amplius non habet, quia Titio suum Beneficium sic resignanti coram Pontifice, liberum est ipsi Pontifici vel resignantem excludere, vel Beneficium alteri, quam Caio, dare, vel Titium ipsum in Beneficium confirmare. Quod si Caio dat, id facit, quia vult Beneficium Titii in Caium transferre.

Item, si permittit, vt Titius, qui Beneficium iam, quod ad se pertinet, resignat in gratiam Caii, ad suum Beneficium iam resignatum redeat, siue vt illud resignet, hoc quoque facit iura suo, cum posset Beneficium in alterum conferre. Accedit quod conditio, vel pactio in spiritualibus, quæ inducit Simoniã iure diuino prohibita, ea est, cum quis dat spirituale alteri ex pacto, vt ab eo, vel ab alio, nomine ipsius recipiat temporale commodum.

At in tali resignatione is, qui resignat Beneficium in gratiam Caii, nihil recipit à Caio. Solum Pontifex est, qui iura suo Beneficium resignantis transfert in Caium, quamuis id faciat in gratiam, & fauorem Titii resignantis.

Hinc est, vt in tali resignatione Titius, & Caius Simoniaci reuera non sint, si pactiõnem in Romani Pontificis arbitratum remittant. V.g. Si Titius, & Caius ita conueniant. Ego Titius resignabo Beneficium meum in tui gratiam, & fauorem, si ita Romano Pontifici placuerit: tunc enim labem Simoniæ nullam contrahunt.

Idem etiam dicendum est, si Titius Caio dixerit: Ego Beneficium meum resignabo in tui gratiam coram Romano Pontifice.

Obicitur, ergo Simoniacus quoque Titius non erit, si suum Beneficium in Caii gratiam resignet coram Episcopo, vel si Episcopo ita placuerit? Respondeo, argumento concludi non esse tunc per se, & simpliciter Simoniacum Titium, sed iure communi canonico, quia talis resignatio aliter, quam Romani Pontificis auctoritate facta, inanis, & irrita, tanquam Simoniacum, ob conditionem appositam habetur, quoniam eam admittere, vel approbare Ordinarius iure communi prohibetur.

Quinò quæritur, An Titius resignans Beneficium suum apud Episcopum pure & simpliciter absq. vlla conditione expressa, vel tacita, eo tamen animo, & voluntate, vt illud Caio detur, aliter non resignaturus, sit mente Simoniacus? *Gloss. in cap. Ex parte 1. De offic. iud. deleg. & apertum in cap. Ordinationes. 1. quæst. 1. v. detur negare*, Titium Simoniã mente contrahere, at Panorm. & Dec. in cap. Ex parte loco citato, affirmant, eum animo, & voluntate Simoniacum esse, at iuris pœnas non contrahere, *iuxta id, quod habetur in cap. Mandato, de Simonia.*

Ratio eorum est, quia Titius Beneficium resignat ex voluntate, vt in Caium conferatur, aliter non resignaturus, ergo voluntate est Simoniacus. Fortassis *Glossa* solum dicit re voluit. Titium sic resignantem pœnis contra Simonicos constitutis non affici, vel resignantem spe sola Beneficii, scilicet Caio conferendi, Simoniacum non esse, quia spes animo concepta Simoniã non inducit. *Glossa in cap. Ordinationes. 1. quæst. 1. & Silu. in verbo Renunciatio, quæst. 6. vers. 2. Angel. Simonia. 7. num. 39.*

Hæc tamen duæ sententiæ facit conciliantur. Nam prima locum habet, quando Titius resignat voluntate quidē, vt Caio datur, sed sine voluntate paciscendi, vt Caio conferatur.

Secunda verò loquitur de Titio, qui resignat animo, & voluntate paciscendi, vt Beneficium Caio detur, tunc enim in animo, & voluntate habet Titius pactum facere de suo Beneficio in Caium conferendo.

Sextò quæritur, An Titius in Simoniã crimen incurrat, cum Beneficium suum pure & simpliciter coram Episcopo resignat, & deinde Episcopum rogat, vt illud Caio conferat? Respondet *Gomes in Regu. Trienniali possess. q. 12.* Aut Titius post temporis intervalum Episcopum rogat, & tunc pro Simoniaco non habetur: Aut rogat statim atque resignauit Beneficium, & tunc in iudicio Simoniacus confertur: nam talis resignatio etiam coram Summo Pontifice facta, modò non admittitur, & multo minus admitti potest si vna cum resignatione petitiõ continuatur, siue supplicatio, qua is, qui resignat, Ordinarium, vel Papam rogat, vt conferat Beneficium Titio.

Septimò quæritur, An Caius Simoniacus sit, eum dicit Titio: Ego resignabo Beneficium meum in gratiam tui, si tu confereris in pensionem, quam Papa constituet, & referuabit mihi? Respondeo *eum Nauar. in Manuali, cap. 23. num. 107.* Simoniacum esse: ratio est, quia facta est resignatio Beneficii eum pacto, vt Titius præter pensionem soluendæ consensum. Vnde est pactio de commodò pecuniæ æstimabili recipiendo. Omnis autem pactio in spiritualibus, vel quasi spiritualibus Simoniã continet. *cap. vlt. De pact. & cap. Quæsitum, de rer. perm. cap. Quam pio. q. 2.* Nam quod ex pacto de commodò temporali datur, vel accipitur, non gratis datur, aut accipitur.

Simonia itidem committitur, quando in duobus Beneficiis vacantibus Titius, Caiusque conueniunt, vt utrumque Beneficium precibus, & opera notri alicuius, & amici Pontificis impetretur, vt conferatur vni eorum ea conditione, vt in ambos æqualiter diuidantur fructus, & pensiones soluendæ illi noto, & familiari Pontificis, qui prædicta Beneficia impetrauerit in eorum gratiam, & fauorem. *Nauar. loco citato.*

Ratio eorum est, quia in his conventio, & pactio subest. Idem quoque Titius, & Caius Simoniaci sunt, si conueniant inter se, vt qui ex ipsis utrumque Beneficium obtinuerit, resignet alterutrum in gratiam alterius ex ipsis.

Octauò quæritur, quid dicendum sit, quando quis litem motæ, & agitæ de Beneficio renuntiat, ob aliam quam pecuniã receperit? Respondeo, huiusmodi renuntiationem Simoniã esse. Ita *Siluester in verbo Renunciatio quæst. 9. vers. 4. Angel. eodem verbo, num. 5. ita quoque Panorm. cap. Nisi essent num. 6. & cap. Cum pridem, de pact. & apertè colligitur ex ipso cap. Cum pridem.*

Quid si, exigat temporale commodum ob impenas, & sumptus, quos fecit in Beneficio litigioso obtinendo, & non

ob reuocationem huius? Respondeo cum Abbate in cap. Nisi essent de praben. num. 8. & Siluestro, & Angelo locis supra citatis. Simoniam committi, quia impensas fecit, ob gratiam sui videlicet causa Beneficium obtinendi, ergo incurrit Simoniam, si eas repetat, quia repetendo, recipit commodum, cum ita recuperet, quas fecerat impensas. Secus esse, si impensas fecisset in bonum ipsius Beneficii, siue Ecclesie, scilicet quia beneficium, vel Ecclesiam ab Hæreticis, vel Pagano nomine Ecclesie suis sumptibus recuperat, siue pretio redimit.

Quid idem si Titius, & Caius inter se litigantes de Beneficio litem componunt auctoritate superioris, qui ob bonum pacis litem dirimit ea conditione, vt vnus alteri aliquid det? Glossa in cap. Nisi essent. de praben. ait non sufficere superioris auctoritatem, siue confirmationem, vel contentum Papæ.

Oppositum dicit Hostien. in cap. Archidiaconus in cap. Ea quæ 1. quæst. 3. Abbas in cap. Nisi essent, Siluester, Angelus, Tabien. locis supra citatis, quæ sententia ex ipso cap. Nisi essent elicitur.

Si obicias, Papam in d. capite non dicere: Confirmamus, sed Toleraamus: at vb cumque Princeps respondendo, vel referendo dicit, Toleraamus videtur dispensare, siue indulgere in eo, quod est contra ius scriptum. Glossa in cap. Quia circa de consanguinitate & affinitate. Respondeo cum Abbate in eo cap. hoc nihil obstat, vt patet ex principio capitis, vbi Papa dicit, eam ordinationem suspectam fore, nisi illi Iudices fuissent probi, & honesti viri, ergo ob conditionem personarum, suspicione turpitudinis carebat.

Item, antequam Papa diceret, Toleraamus, dixerat licite ob eam ordinationem, eos potuissent pecuniam soluere. Cur ergo dixit, Toleraamus? Respondet Panormitanus. Ne videretur Pontifex totum illud factum laudare, & ne in exemplum traheretur: multa enim tolerantur quidem, sed non laudantur.

Quid si litigantes conueniant inter sese, non quidem auctoritate superioris, sed auctoritate boni, & honesti iudicis, in quem, ob bonum pacis compromissum faciunt. Glossa negat id licite fieri, nisi auctoritate Papæ confirmetur, Abbas, Siluester, Angelus, & Tabien. locis supra citatis affirmant, id iura conscientia fieri.

Quæres, cur Simoniacum sit, si litigantes inter se conueniant, vt vnus eorum lite cedens dimittat beneficium, aliqua pensione, siue pecunia recepta: non verò Simonia sit, quando lis componitur auctoritate Iudicis superioris, vel arbitri, dato, & accepto aliquo temporali commodum? Respondeo in primo casu committi Simoniam, quia lis tunc transactione dimittitur: Transactio enim est de re dubia, & lite incerta, & nondum finita, non gratuita pactio, sed aliquo dato, vel retento, vel promisso, l. i. ff. de transactio. & l. Transactio. C. eodem tit. Ideo transactio in Beneficium est lege prohibita. cap. Super eo de transactio.

Secus verò est, si gratis, & amicebiliter, vt in eo capite dicitur, litigantes inter se litem componant.

In secundo verò casu Simonia non est, quia lis non dissoluitur transactione, sed auctoritate superioris Iudicis, vel arbitri, in quem est à litigantibus compromissum.

Si roges, An Simoniam admittat Titius dans pecuniam Caio, ne litem moueat, & exerceat? Respondeo cum Siluestro in verbo Renuntiatio, num. 3. & Ang. eod. verb. num. 9. ex Butrio, & Abbate in cap. Cum pridem, de praben. Aut Titius ius habet acquisitum in Beneficio, & certum, & tunc Simoniam non incurrit, quia pretio redimit vexationem, quousi si ius questum est dubium & litigiosum, tunc Titius Simoniacus est, quia pretio parat sibi viam ad beneficium.

Octauo quaeritur, An Titius Simoniacus sit, literis pontificis, quas impetrauit ad beneficium primo vacaturam consequendum, renuntians ea conditione, vt sibi aliqua pecuniaria pensio conferatur? Glossa in cap. Ad audientiam 2. De rescrip. in verb. Renuntiantes, negat eum esse Simoniacum, quia per litteras pontificias nullum ius spirituale acquisiuit, videlicet, nec ius in re, nec ius ad rem.

Dicendum verò est cum Innoc. Host. & Panorm. in eo cap. quos sequuntur Angel. & Siluester praecitati in locis, Titium Simoniacum cum admittit, quia ex litteris pontificis aliquod ius acquisiuit, videlicet ius petendi Beneficium primo vacaturum. Vnde fatetur quidem nullum ius acquisisse proprie in re, vel ad rem; dubitare tamen non potest, quin ius acquisierit preparatorium ad beneficium obtinendum.

Quid si officio superioris, vel opera alicuius Titius parit, & simpliciter renunciet literis pontificis? tunc ne poterit recipere aliquid sibi oblatum? Poterit. Ita Siu loco praefato ex B. Anron. pro cuius sententia fuit id, quod habetur in cap. Sanè, de renunt.

Quid idem, si renunciet literis eiusmodi eo pacto, vt legitima auctoritate superioris, sibi aliquod beneficium Ecclesiasticum conferatur. Innocen. & Hostien. in cap. ad audientiam 2. De rescrip. esse Siluester, in eod. loco, cuius supra meminimus, negat Titium esse Simoniacum, quia ius spirituale, quod Titius habet ex litteris pontificis petendi Beneficium primo vacaturum, permittit auctoritate superioris cum alio Beneficio Ecclesiastico.

De resignationibus Beneficiorum factis cum regressu, vt dicunt, vel accessu, vel ingressu.

CAPVT IX.

SCIENTIUM est, aliquando contingere, vt aliquis Beneficium suum resignet cum facultate sibi data redeundi ad illud: Et hoc quidem tripliciter.

Primo, quando quis resignat suum beneficium impetrata facultate, vt si resignatus praemoriatur, ipse redeat ad beneficium resignatum, ita vt ius pristinum in beneficio recuperet. Regressus enim ad ius aliquod, est reditus ad illud in certis quibusdam euentibus.

Secundo, quando quis impetrat beneficium resignat sed quia legitimam ætatem nondum habet, vel aliquo impedimento Canonico præpeditus illud retinere non potest, impetrat facultatem, vt post legitimam ætatem, vel post impedimentum Canonici amotum possit illud beneficium habere. Et hæc resignatio dicitur fieri cum accessu. Accessus autem vocatur ius capessendi Beneficium, cuius antea possessionem quis adeptus non fuerat ob aliquod Canonice impedimentum.

Tertio, quando quis resignat Beneficium iure quidem obtentum, sed nondum eius possessionem allequitur, & ei facultas datur, vt si resignatus prius deceaserit, sui Beneficii resignati possessionem apprehendat: & hæc resignatio dicitur fieri cum ingressu. Regressus itaque est ad Beneficium iure impetratum, & possessum. Accessus verò est quidem ad Beneficium obtentum, sed quod ob aliquod impedimentum Canonice retineri non potest. Ingressus autem est ad beneficium tametsi iure receptum, tamen cuius possessio apprehensa non fuerat. Robus in Praxi Beneficiorum, par. 3. De regressu, & resignat.

Secundo, sciendum est, res prædictas resignationum modos generatim vocari solitos esse regressus, quamuis, vt dixi, regressus speciatim ab accessu, & ingressu distinguantur.

Tertio notandum est, Beneficia resignari non posse contra ordinariis locorum cum regressu, siue accessu, siue ingressu: vt alioqui enim tales Beneficiorum resignatores contra ordinariis admittunt, pro Simoniacis haberentur, & iniuriæ, & inanes sunt. Ratio est, quia sunt cum conditione, pacto, & modo, & omnis pactio in Beneficium Simoniacæ est. cap. vlt. de pact. & cap. Quam pio. 1. quæst. 2.

Quarto animaduertendum est, prædictos regressus in curia Romana consensu Romani pontificis olim fuisse permissos vsu, & stylo cuius eos Pontifex tolerante, & concedente, quamuis alioqui contra ius commune canonicum.

Concilium Trid. sess. 25. cap. 7. tales regressus merito sustulit, etiam Beneficium consentu factos.

Primò, quia habent speciem hereditariæ successiõnis, quam Canones, & iura deserantur.

Secundò quia si sãnt sine consensu beneficiarii, præbeant occasionem optandæ, & captandæ mortis, quam ipsæ etiam leges ciuiles maximè improbant, & damnant.

Tertiò, quia sæpe eiusmodi regressus concedebantur eò sanguineis, propinquis, amicis, etiam indignis.

Quartò, quia conuentiones, conditiones, & pacta in beneficiis iure Canonico improbantur.

His positis, primò queritur, An eiusmodi regressus Simoniam reuera contineat? Respondeo, si tales resignationes priuatae resignantium, vel ordinariorum auctoritate fierent, Simoniacæ essent, quia fierent cum pacto, & conditione: at Beneficia resignari, & conferri gratis debent, non pretio, vel aliquo commo dato, vel recepto.

Secundò queritur, Quo modo tales resignationes auctoritate pontificia admittantur, si reuera Simoniam sapiant? Respondeo, eas resignationes pontificia auctoritate, ab omni conditione, & pacto purgari, ac proinde omni simoniæ prauitate liberari. Nam in resignationibus, quando Romanus Pontifex resignanti concedit, id facti gratis, & liberaliter, alioqui enim potest nuro suo regressum denegare, quamobrem si is, qui resignat, propria auctoritate sibi regressum reseruaret, Simoniacus simpliciter conferretur, quia resignatio cum pacto, vel conditione esset, ac proinde minimè gratuita.

Tertiò queritur, An post Concilium Trid. aliqui regressus ad beneficia auctoritate pontificia concedantur? Respondeo, concedi. Nam vsu, & stylo curiæ Romanæ, quando quis beneficium resignauit, vel lite de beneficio mota cessit, Pontifex reseruatur pensionem impositam in fructibus beneficii alterius, & concedit regressum, siue accessum, siue ingressum ad beneficium pensione oneratum, quando Beneficiarius debitor pensionis eam non soluit infra triginta dies, & sex mensibus elapsis post illos triginta dies, pertinaciter in censuris Ecclesiasticis persistit. Pensionatio itaque datur facultas regrediendi, vel accedendi, vel ingrediendi ad beneficium, in quo est imposita pensio, eo quod Beneficiarius pensionem debitam non soluerit. *Gigas de pensionib. quæst. 99. num. 22.*

Quartò queritur, Vndeiam fuerint in curia Romana introductæ beneficiorum resignationes cum regressu? Respondeo, olim admissas fuisse tales resignationes auctoritate pontificia, sed non sine consensu Resignatarii, quando enim Beneficiarius olim seruierat Ecclesiæ, & tandem scario vel morbo, vel alia incommoda valetudine impeditus Beneficium resignabat, & alius in eius locum substituebatur idoneus ad ministerium Ecclesiasticum, ne is, qui resignabat, omni vitæ subsidio destitueretur, facultatem impetrabat, vt si substitutus pramoueretur, ipse ad pristinum beneficium rediret.

Deinde verò cepit etiam vsu introduci, vt concederetur regressus ad Beneficia, etiam sine consensu eorum, qui Beneficia possidebant.

De Simonia, qua committitur in resignationibus Beneficiorum, spe, & confidentia facti.

CAPVT X.

SCIENTIUM est, editam esse à Pio Quinto Constitutionem, quæ incipit *Intollerabilis*, quam habet Nauar. in *Manuali*, cap. 23. num. 110. in qua Pontifex, Pii Quartii exemplum sequutus, damnat resignationes, collationes, & præsentationes Beneficiorum ex confidentia factas. Tunc autem quis regnat Beneficium spe, & confidentia, quando dimittit illud apud legitimam superiorem spe-

rans & confidens se recepturum ab eo, in cuius gratiam beneficium resignat, ipsum Beneficium resignatum elapso aliquo tempore, vel omnes beneficia resignati fructus, vel pensionem ex fructibus illius, vel aliquid aliud commodum, vel ex alio beneficio, vel aliunde, vel ex quibuslibet Resignatarii bonis: pari ratione collatio Beneficii ex confidentia fieri dicitur, quando is, qui beneficium confert, sperat se recepturum emolumentum, vel ex ipso beneficio collato, vel aliunde. Eodem modo patronus ex confidentia dicitur præsentare Clericum ad Beneficium, quando sperat commodum ex ipso Beneficio, vel aliunde ex bonis Clerici, quem ad beneficium præsentauit.

Confidentia verò in resignationibus, collationibus, & præsentationibus potest contingere, vel cum pacto expresso, vel tacito, vel solo animo, & voluntate, absque vilo pacto.

His positis, primò queritur, Quot genera confidentiæ in Pii V. Constitutione damnentur? Respondeo, ea omnia, quæ sequuntur.

Primò, si quis resignet Beneficium ea spe, & confidentia vt is, cui confertur, postea dimittat idem Beneficium in fauorem suum, vel consanguineæ, vel amici, vel alieni cuiuslibet, quem ipse resignans nominauerit.

Secundò, si resignet ea confidentia, vt resignatarius soluat ei, vel alteri, quem nominauerit, fructus eiusdem Beneficii, vel partem illorum, vel pensionem ex fructibus eiusdem Beneficii.

Tertiò, si quis conferat Beneficium ex prædicta confidentia, vt videlicet ex illo beneficio collato percipiat fructus, vel pensionem, vel certe eius consanguineus, vel amicus.

Quartò, si patronus præsentet Clericum ad beneficium ex prædicta confidentia.

Quintò, si quis eligat alterum ad Beneficium ex eiusmodi confidentia.

Secundò queritur, An confidentia in resignationibus Beneficiorum, vel collationibus, vel præsentationibus, vel electionibus, solo animo, & voluntate concepta, sine vilo pacto expresso, vel tacito, in Pii Quinti Constitutione damnentur? Ratio dubitandi est, quia in ea dicitur laus esse, si sola dimittentis intentione, in confidentiam Beneficiorum resignetur: & in Constitutione Pii Quartii habetur: Quoties intuitu, vel contemplatione alterius recipit, quis Beneficium, etiam si non exprimat, hic habetur confidentiarius, nimirum si recipiat, & postea det consanguineo, vel affini, vel amico conferentis, vel resignantis. Nauar. in *Manuali*, cap. 23. num. 110. vers. 6. quod hac, censet in præfatis Constitutionibus pœnas non comprehendere resignationes per confidentiam in Beneficiis, si solum fuerint animo, & voluntate conceptæ. Vnde in constitutione Pii V. per illa verba (*sola dimittentis intentione*) comprehenditur non solum confidentia in pactum expressum, deducta, sed etiam ea, in qua pactum tacite continetur, & ea, quæ in iudicio aliquo possit coniectura probari.

Item illis verbis condemnatur confidentia, etiam si solum ex parte resignantis, conferentis, vel præsentantis fuerit, & non ex parte eius, cui Beneficium confertur, vel ad Beneficium præsentatur vel in cuius gratiam Beneficium resignatur: quod potest accidere, si confidentialis Simonia commissa fuerit ex pacto, vel tacito solum inter Titium resignantem, vel conferentem, vel præsentantem, & Caium procuratorem Sei? cui beneficium confertur, vel qui præsentatur ad Beneficium, vel in cuius gratiam Beneficium resignatur. ipso Seio nihil sciente de confidentiali Simonia, inter Titium, & Caium admissa.

Tertiò queritur, An prædicta Pii V. Constitutio irroget pœnas iis etiam, qui tales resignationes, collationes, præsentationes ex confidentia acceperunt antè ipsam Constitutionem? Respondeo, maximè quia quamquam leges minimè extendantur ad præterita, sed ad futura tantum: vt habetur in l. *Leges, C. De legibus, & constitutionibus*, hoc tamen locum habet, nisi oppositum in ipsis legibus

expi-

exprimatur, ad tale quid in prædicta constitutione expressum est, in qua dicitur: (Qui hucusque Ecclesias, Monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasque res intercedente hoc confidentiarum vitio receperant, ac retinent, nisi statim ad se reuersi, & respicientes celeri dimissione, sibi prospecterint,) & reliqua, *Nauar. in Manuali, c. 27. num. 100. vers. Nota ducimo.*

Quirò queritur, Quod & quæ pœnæ constituantur in eos, qui beneficia resignant, vel conferunt, vel præsentant clericos ad beneficia ex huiusmodi confidentia? Hanc quæstionem inferius tractabo. Interim Respondeo, eas pœnas esse constitutas, quæ sequuntur.

Prima est, beneficium receptum per confidentiam, vacat ipso facto, etiam antequam is, qui recepit, impleat, quod promissit.

Secunda, Nullus alius, nisi Romanus Pontifex potest tunc in beneficium conferre, nam tum temporis collatio eius summo Pontifici reservatur.

Tertia, omnes fructus percepti sunt restituendi Apostolicæ Camere, hoc est, Pontificio fisco, etiam antè impletam conditionem ex parte vtriusque.

Quarta, omnes dispositiones circa id beneficium irritæ, & inanes habentur. V.g. reservatio pensionis, & facultas regrediendi, vel accedendi, vel regrediendi ad talia beneficia, vel facultas transferendi pensionem reservatam.

Vnde restituendæ sunt omnes pensiones perceptæ ex fructibus à primo die, quo per confidentiam fuit beneficium obtentum.

Quinta, Eiusmodi beneficiarii, qui talia beneficia recipiunt, statim ipso facto, antequam impleant, quod promissum, in excommunicationem incidunt: à qua absolui non possunt, nisi per Romanum Pontificem, quod si Cardinales fuerint, eis interdicitur ingressus in Ecclesiam.

Sexta, Tales beneficiarii amittunt ipso facto beneficia, dignitates, & officia, etiam temporalia, quæ habent in Curia Romana.

Septima, sunt inhabiles ad quævis beneficia, dignitates, & officia, etiam temporalia.

Quætes, An prædictæ omnes pœnæ contrahantur secundum conscientiam ante sententiam Iudicis, an verò ipso facto? Respondeo, contrahi, ea dempra, qua dicitur (amittere eos ipso facto beneficia, & officia, quæ antea habebant) hæc enim pœna non afficitur beneficiarius secundum conscientiam, ante iudicis condemnationem, qua crimen eius declaratur: communis enim est doctorum sententia, pœnam, qua quis priuatur ipso facto bonis, quæ habet, non contrahi nisi post declarationem criminis: declarato verò crimine per iudicem, retrò trahitur sententia ad diem commissi criminis.

Quætes itidem, An qui beneficium ex confidentia resignatum, vel collatum recepit, sed bona fide ignorans prædictas constitutiones Pontificum, pœnas, quas diximus, incurrat? Respondeo, cum in excommunicationem non incidere, quia absque culpa, nemo ex communicationi subicitur. Cæteræ verò pœnæ, quas prædictæ constitutiones imponunt, contrahuntur.

Quirò, queritur, An prædictis constitutionibus damnatur omnis resignatio beneficii ex confidentia facta? Respondeo, non damnari, quamvis aliqui sit iure communi prohibita, ut si quis beneficium suum resignet in gratiam & fauorem Titii, ut Titius resignet aliud beneficium, quod habet, vel remittat pensionem quam debet resignans in fauorem ipsius resignantis.

At verò, si quis resignet beneficium suum, eo pacto, ut ei dentur centum aurei in compensationem fructuum, quos duobus annis, vel anno solet aliqui reddere beneficium resignatum, Simonia est, non solum iure communi damnata, sed etiam prædictis constitutionibus.

Item, si quis resignet beneficium suum ex confidentia percipiendi partem fructuum ex beneficio resignato, &

accepit syngrapham, qua possit eam partem exigere, sed postea penitentia ductus pure, & simpliciter beneficium resignauit, antequam illos fructus perciperet, discussa syngrapha, in pœnas earum constitutionum incidit vna cum eo, qui beneficium per confidentiam accepit, & promissum non impleuit: quamuis vterque simoniam tantum conventionalem commiserit, quæ ex parte vtriusque ad effectum perducta non est: hoc enim habet proprium huiusmodi simonia conventionalis, per confidentiam commissæ, quod statim, ut quis recipit beneficium, antequam impleat, quod promissit, ipso facto, est excommunicatus, & ipso iure est irrita, & inanis adeptio beneficii, & debet restituere omnes fructus, quos percepit à die, quo beneficium est consecutus, cum tamen alix conventionales simoniae hoc non habeant, nec enim per eas excommunicatio contrahitur, aut irritum est ipso iure, quod fit, nisi cum ex parte vtriusque ad effectum deducantur, *ut inferius dicam. Nauar. in Manuali, c. 27. n. 100. vers. secundo nota.*

Sextò queritur, An coniecturæ, quæ in constitutione Pii V. ponuntur ad probandum, conscientiam in beneficiis locum tantum habeant in iudicio, an etiam secundum conscientiam? Respondeo, earum aliquot solum habere locum in iudicio, cuiusmodi sunt prima: si quis post dimissum resignatumue beneficium auctoritate superioris, & apprehensam à resignatario possessionem beneficii se in illud per se, vel per alium ingerit, & fructus omnes, vel partem eorum accipit, ut successor ipsi, vel propinquis suis aliquos fructus beneficii resignati remittit.

Secundò, si is, qui recipit beneficium, constituit resignantem, vel eius parentes, vel propinquos procuratores, ad percipiendos, vel locandos fructus beneficii dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, vel percipiendis donationem fecerit.

Tertiò, si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensurorum ex parte dimittentis expeditio, quæ personam dimittentis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ, pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint.

Quartò, si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate de beneficio per se, vel alium intercellerit, vel alias in negotio concessionis, sese immiscuerit: deinde aliquid de fructibus talis beneficii facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perciperit, siue de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quomodocumque. Hæc ex Pii Quinti constitutione.

De Simonia, quæ committitur in beneficiorum collationibus.

CAPVT XI.

PRIMO queritur, an Simoniacus sit, qui beneficium confert alicui propter consanguinitatem? S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad secundum, sic ait: (Si aliquis aliquid spirituale alicui confert propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen Simoniaca, quia nihil sibi accipitur. Vnde hoc non pertinet ad contractum emptio- nis, & venditionis, in quo fundatur Simonia. Si tamen aliquis dat beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto, & intentione, ut inde suis consanguineis provideat, est Simonia manifesta.) Hac S. Thomæ auctoritate ducti. Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 7. a. 3. & Nauar. in Manuali c. 27. num. 107. & Covarruias, lib. 2. Variar. resolutionum cap. 5. num. 4. & 5. negant Simoniacum esse eum, qui confert beneficia ob consanguinitatem Siluester in verbo Simonia, qua. 13. vers.

6. S. Thomæ sententiam sic interpretatur: (Collatio, non est Simoniaca secundum S. Thomam, si intendatur bonum temporale solum eius, cui datur, quia nihil recipitur: sensus si detur alicui hac intentione, ut inde suis consanguineis provideatur, vel etiam, si detur consanguineo, ut conferens magnificetur, vel fiat potentior, vel exaltetur parentela, & huiusmodi: quia dans recipit rem temporalem. Sic ille.

At verò Glossa, in cap. 2. *Vt Ecclesiastica beneficia, in verbo (Carnalitates)* ait, Episcopum Simoniam committere, si conferat propter consanguinitatem alicui beneficium, alioqui minime daturus.

Idem quoque dicit in c. *Nemo de Simonia in verbo (consanguinitatem)* Cantor Parisiensis teste Adriano. *Quodlib. 9. art. 2.* tradit, præter triplex munus Manus, Lingue, & Obsequii, adiecit aliud munus, quo dixit Simoniam admitti, videlicet munus Sanguinis, cum quis propter consanguinitatem beneficium Ecclesiasticum in aliquem confert.

Et idem sensisse videntur Sa. Bonaventura in *quarto Distinctio. 25. dub. 5 super litteram*, & ipse Adrianus *loco citato*.

Tota huius rei difficultas in eo consistit, An sit propriè & verè Simoniacus, qui consanguineo ob consanguinitatem beneficium confert, id alioqui non collaturus.

Item, An sit propriè Simoniacus, qui beneficium confert consanguineo, ut ipse inde fiat honoratior, opulentior, & potentior.

Item, An sit propriè Simoniacus, quando confert beneficium alicui, ut inde contrahat affinitatem, vel propinquitatem S. Thomas *loco supra citato* apertè dixit, non esse Simoniacum, qui propter consanguinitatem beneficium confert, quamvis illicita, inquit sit, & carnalis collatio. Intellegit S. Doctor eum non esse propriè, & strictè Simoniacum, qui rem spirituales quidem dat, quamvis causa indebita, sed nihil commodi recipit, gratis enim & liberaliter dat, ut inquit S. Thomas, tametsi errore sanguinis ductus. Simonia verò propriè non est, spirituali re gratis data & accepta.

Contra hanc S. Thomæ sententiam, & doctrinam alii Theologi tradiderunt.

Nam de Simonia latè sumpta locuti sunt, dicentes Simoniacum esse, qui beneficium confert, propter consanguinitatem. S. Bonaventura in *4. Dist. 25. Dub. 5. in litteram* sic ait: In communi distinctione malorum accipitur simonia generaliter, à qua pauci sunt hodiè immunes in Clero respectu multitudinis, vtpote qua nudo ille, qui ordinem tribuit, vel alius ex causa inordinata acquirit siue ordinem, siue beneficium.

Et isti sunt quinque modi, quorum sufficientia patet: sic si aliquis inordinatè mouetur. Aut ex timore malè humiliante, & hic est vnus modus: Aut ex amore malè inflammante, *1. Ioannis 2.* Et tunc cum triplex sit amor, scilicet superbia vitæ, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, penes concupiscentiam oculorum accipitur illa simonia, quæ est in nummo, penes carnalem amorem accipitur aliud membrum, scilicet caro, quod comprehendit, inordinatum amorem, siue respectu propinquorum, siue respectu aliorum, ut si quis amore fornicariæ promouet filium fornicariæ. Ita S. Bonaventura. Vbi Simoniacum latè, & generaliter appellat eum, qui confert beneficium ob propinquitatem. *Eadem verba ex Bonaventura accepta habet Adrianus Quodlib. 9. art. 2.*

Sed quonam modo, inquires, definitur simonia latè & generaliter sumpta? Respondeo cum Adriano superius citato, definitur sic: Simonia est cum aliquod spirituale datur, & accipitur ob causam non debitam.

Strictè verò & propriè Simonia est, cum spirituale datur, vel accipitur, dato & accepto aliquo temporali commodo. Cum igitur S. Thomas factetur, illicitè dari beneficium, cum gratis quidem confertur, sed amo-

re sanguinis, eo ipso concedit eum, qui ob consanguinitatem beneficium confert, esse latè, & generaliter simoniacum, quia dat beneficium causa non debita.

Hoc etiam modo intelliguntur responsa Pontificum. Nam in *capite primo. Vt Ecclesiastica beneficia*, sic ait Innocentius III. (Circum carnalitatè animi, quia non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium in persona magis idonea dispensare.)

Vbi reprehenditur Episcopus Mediolanensis, eo quod studio, & amore sanguinis beneficium Ecclesiasticum contulisset. Et c. *Nemo de simonia* habetur: (Nec pro respectu cuiuscumque personæ consanguinitatis, aut familiaritatis alienis communicans peccatis, hoc Episcopo innotescere detraxerit.)

Videtur appellare eum, qui vel amore sanguinis, vel gratia amicitiar, peccata, quæ ab eo corrigi debebant, Episcopo non dicit, Simoniacum appellat, latè, & generaliter, quia peccatum celat causa non debita. Exiit & alia quædam Pii Quinti constitutio, quæ incipit: *Quanta*, ubi præcipit Pontifex, ne Episcopi, vel alii collatores beneficia resignata conferant vel suis, vel dimittentium consanguineis, affinis, vel familiaribus, alioquin sit irrita collatio, & sint suspensi, tam conferentes, quam recipientes, à collatione, præsentatione, institutione, electione, & confirmatione, donec fuerint à Romano Pontifice absoluti.

Præterea certum est id, quod dicit S. Thomas *loco citato*, manifestam esse Simoniam, si quis det Ecclesiasticum beneficium alicui, ex pacto & intentione, ut inde suis consanguineis provideat: tunc enim spirituale datur propter commodum temporale, quod recipit is, qui dat beneficium. Simonia tamen est, si quis beneficium confert consanguineo, ut inde is, qui confert, fiat honoratior, vel opulentior, vel potentior, vel ut consanguineo, vel propinquorum familia fiat clarior, & illustrior, ut dicit Siluester *loco supra citato*: nam tunc etiam is, qui dat beneficium, recipit commodum temporale. Infuper Simoniacus est, qui beneficium confert alicui, ut inde contrahat affinitatem, & propinquitatem clariorum, & illustriorum, quoniam recipit temporale commodum: affinitates enim, quæ contrahuntur, pretio æstimabiles sunt, cum inde familiaris splendiores, potentioresque reddantur.

Secundò quaeritur, An Simoniacus sit Episcopus ita cum aliquo conueniens: Dabo tibi in singulos annos certum stipendium, ut mihi inferuias, donec tibi beneficium Ecclesiasticum contulerò? De hac quaestione Hostien, & Panormitanus in c. *Cum essent de simonia*, Siluester, in *verbo Simonia, quæst. 16. vers. 4.* Hostiensis, & Panormitanus secutus in c. *Cum essent de simonia*, negat esse Simoniam sic etiam negat Angelus, *verb. Simonia. 2. n. 19. Tabien. eod. verbo. §. 62.*

Ratio eorum est, quia solum est promissio salarii, siue stipendii sub conditione ad tempus facta, non autem simpliciter, & in perpetuum, & expleta conditione cessat ac desinit obligatio. *Instit. de verbo obligat. §. Omnis.* Accedit, quod in simili casu, usurarius non esset, qui sic cum aliquo conueniret: Mutuum tibi dabo, donec offi. omam meam frequentaueris ad merces emendas.

At verò Simoniacus esset Episcopus, si loco stipendii quod ministro debet, Ecclesiasticum beneficium conferret, aut si ex pacto obligaret sibi ministram, ad obsequium temporale præstandum: lucraretur enim Episcopus eiusmodi obligationem, & ita Simoniacos esset.

Item si cum ministro ita conuenisset, ut certum stipendium solueret quotannis, donec beneficium conferret, & eo collato nihilominus minister ei inferuere abique vilo stipendio post datum beneficium. Cuius rei hæc ratio reddi potest, quia tunc minister redditum sibi stipendium remisisset ob beneficium Ecclesiasticum receptum. ego

dare. Episcopus spirituale, eodem modo temporari recepto, & recipere minister beneficium ob temporale commodam.

Quæres, An licitum sit clerico inferuire Episcopo, ut beneficium ab eo consequatur. Hoc dubium solutum inferius commodiori loco.

Tertio quaeritur, An Simonia, quæ in beneficiis Ecclesiasticis committitur, sit iure diuino, an verò solum iure canonico prohibita? De hac quaestione Caietanus in *Opusculis, tomo 2. tract. 9. q. 1. Et Socus lib. 2. de Iustitia, quaest. 7. art. 5.*

Tres hac de re opiniones Caietanus enumerat.

Prima est assententium, solum esse canonico iure damnatam. Sic *Glossa in c. Ex parte de officio iud. deleg. Antonius, & Cardinalis in cap. 1.* Cuius opinionis auctores multos recenset Turrecornata in *c. Latorem, l. quaest. 1.* Ratio eorum est, quia beneficia Ecclesiasticis ordinibus, siue clericis sunt annexa, iure tantum canonico. Nam primis Ecclesie Evangelicæ nascentis temporibus clerici erant absque viliis Ecclesiasticis beneficiis, ergo Ecclesiasticum fuerunt beneficia.

Secunda, Quindocumque, quod spirituale est, cum temporali coniungitur, potest absque Simoniaci vitio vendi, & emi id, quod est temporale, ut patet in vasis, & vestibus sacris: sed in beneficiis est spirituale, videlicet ordo ipse clericorum, & est temporale, nimirum annuus redditus, qui præbenda nominatur, ergo nullum est Simoniaci crimen, si per se, & secundum se vendatur præbenda absque ordine Ecclesiastico, cui iure canonico est annexa.

Tertia, quia aliqui beneficiorum permutatio esset iure diuino prohibita, nec posset superioris auctoritate fieri.

Quarta, quia non posset Pontifex beneficium conferre, relicta certa pensione: daret enim beneficium non gratis, sed ex pacto, & conditione, ut beneficiarius soluat pensionem.

Quinta, quia aliqui non posset vlla beneficium resignatio admitti, facta in gratiam & fauorem alterius.

Sexta, aliqui Simoniaci essent, qui beneficia resignant, siue dimittunt, siue permutant certis quibusdam conditionibus, si ille summo Pontifici placuerint.

Septima, quia, ut dicitur *capite secundo de Præben. in sexto, & Clem. 1. Ut lite pendente*, Pontifex Romanus habet plenam dispositionem, & liberam in omnibus beneficiis.

Altera est opinio ita distinguendum: Aut beneficium est coniunctum cum animarum cura, vel sacro ordine, aut non est coniunctum. Si primum, tunc simonia, quæ in beneficiis committitur, iure diuino prohibetur, quia vendi, aut emi beneficium non potest, quin ematur, vel vendatur cura animarum, vel sacer ordo, eo quod ipsum beneficium coniungatur, & consequitur curam animarum, vel sacrum ordinem: at quod posterius est, emi, vel vendi non potest sine eo, quod prius est, à quo pendet. Iure autem diuino prohibemur curam animarum, vel sacrum ordinem vendere.

Cum autem beneficium non est cum animarum cura, vel sacro ordine coniunctum, tunc quamuis vendatur, vel ematur, auctoritate superioris, Simoniacum crimen non est, diuino iuri contrarium, sed solum contra Canonicum ius, quod talem emptionem, & venditionem prohibuit: nihil enim tunc venditur, vel emitur directè, vel indirectè contra ius diuinum. Ita *Panormitanus cap. de Simonia, & in repetitione super cap. extirpanda, §. Qui vero de Præben. num. 33. & in c. cum pridem, de pactis, num. 11.*

Tertia sententia est aliorum dicentium, generaliter simonia in beneficiis esse iure diuino prohibitam. Fuit hac Caietani, loco supra citato, & Soci lib. 9. de Iustitia, quaest. 7. art. 1. *Victoria in Relezione de Simonia, Adriani quodlib. 9. art. 2.*

Hanc sententiam dicit Nauarrus in *Manuali cap. 23. numer. 108. vers. 7. Quod ex his*, esse communem Theologorum. Eam probat idem Caietanus auctoritate S. Thomæ in 2. 2. *quaest. 100. num. 4.* vbi sic ait: Aliquid potest esse annexum spiritualibus dependens, sicut habere beneficia Ecclesiastica.

Dicitur (spiritualibus annexum) quia non competit nisi habenti officium clericale. Vnde huiusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus, & propter hoc ea nullo modo vendere licet, quia eis venditis intelligantur etiam spiritualia venditioni subici.

Quædam autem sunt annexa spiritualibus, in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut ius patronatus, eo quod ordinatur ad præsentandum clericos ad Ecclesiastica beneficia, & vasa sacra, quæ ordinantur ad sacramentorum vsum. Vnde huiusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt, & ideo aliquo modo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa. Sic S. Thomas. Ex cuius verbis perspicitur, beneficium Ecclesiasticum, quatenus est ius percipiendi redditus, sibi proventus ex bonis Ecclesie ob ministerium sacrum, siue Ecclesiasticum, quod clericus præstat in Ecclesia, siue quod fertur in altari, emi aut vendi non posse absque Simoniaci vitio, nam tale ius consequitur potestatem, & auctoritatem, qua clericus tamquam clericus officium in Ecclesia facit.

Ergo si beneficium vendatur, consequens est, ut vendatur etiam ipsum clerici officium, quod reuera sacrum est, & spirituale, quoniam si beneficium, quatenus beneficium est, vendatur, eo ipso venditum censetur ius percipiendi redditus ex bonis Ecclesie ob officium, & ministerium Ecclesiasticum.

Secus vero est, si fructus tantum beneficiorum, aut bona immobilia, in quibus beneficia sunt constituta, & ex quibus annui redditus beneficiorum percipi solent, emantur, aut vendantur: huiusmodi enim fructus temporales sunt, qui in vino vel oleo, vel frumento, vel pane, vel pecunia consistunt, & beneficiarius potest eos pretio locare, saltem ad triennium, & bona ipsa immobilia, in quibus beneficia sunt posita, res quædam sunt, quæ seruata iuris canonici solenni formula, alienari queunt, auctoritate Romani Pontificis.

Hinc fit, ut ius percipiendi redditus ex bonis Ecclesie ob officium profanum, & temporale, non sacrum, & spirituale, auctoritate superioris emi, aut vendi possit: quia officium, ex quo pendet tale ius percipiendi fructus, est profanum, non sacrum, ergo ipsum etiam ius cum tali officio coniunctum, profanum est, & temporale, quare talis officii, & iuris emptio, quamuis sit iure canonico prohibita, non tamen iure diuino.

Absolutè igitur, & simpliciter dicendum est, contra ius diuinum esse, Ecclesiastica beneficia emere, vel vendere, quia Ecclesiasticum beneficium est ius exigendi, & percipiendi fructus ex bonis Ecclesie ob sacrum officium, & ministerium, quod in Ecclesia præstat.

Sed cur, quæso, sacra vasa, & vestes vendi queunt ratione eius, quod est temporale in eis, videlicet ratione materię, beneficia verò vendi nequeunt ratione temporalis, quod habent commodi? S. Thomas loco supra citato rationem reddit huiusmodi.

Nam beneficium, inquit, tamquam posterius, annexum est officio sacro, & spirituali clerici, quare vendi non potest, nisi vendatur etiam officium sacrum, & spirituale, cui est annexum: nam pendet ex illo, at verò vestes, & vasa sacra sunt annexa spiritualibus, non quod illis posteriores sint, sed tamquam priora ad sacramentorum vsum referuntur. Et hinc est, ut ratione materię, quæ constant, vendi queant, nec enim vendita materia, simul quoque venditum censetur id, quod est spirituale in eis. Nam materia absolutè, & simpliciter præcedit id, quod est spirituale, & factum, quod vasa, & vestes habent.

Sic etiam vendi potest fundus, in quo est ius patronatus, & non venditur ipsum ius patronatus. Vendi potest terra solum, in quo est ius sepulchrae, & non venditur sepulchrae ius.

Quid queritur, An Titio fas sit precio redimere vexationem, quam in beneficio patitur? S. Thomas in 2. 2. *quæst. 100. art. 2. ad secundum*, respondet in hunc modum: Antequam alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacunque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem & collationem, simoniacum esset aduersantium obstacula pecunia redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spirituales obtinendam. Sed postquam ius alicui acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta renouare. Sic ille. Hæc S. Thomas sententia colligitur ex c. *Dilectus de Simonia*, & ex c. *Sicut* & c. *Matthæus eod. tit.* Panormitanus in c. *Dilectus paulo ante citato, num. 4.* ita dicit: In spiritualibus pro iure querendo, non est licitum aliquid dare, etiam ut esset impedimentum facti: quia dando pecuniam quis videtur esse ambitiosus, quia dar, ut facilius, quod habet, acquirat. Et in hoc casu proprie loquitur c. *Matthæus, de simonia*. Nec enim proprie redimitur vexatio, sed datur, ut facilius acquiratur ius spirituale.

Pro iure autem acquisito, aut est, quis in possessione illius iuris, & si molestetur de facto, licitum est aliquid dare, ut probatur in c. *Dilectus*, licet recipiens teneatur ad restitutionem.

Si vero ille vexetur, ut quia Episcopus vitro vult eum iuste deponere, vel alius iuste accusare: vel forte præterdit ius in beneficio, & tunc vexatio non licet aliquid dare vexanti, quia tunc non redimitur vexatio facti, ut constat ex c. *Nemo, de Simonia*. Aut non est in possessione iuris acquisiti, aut tunc ut habet possessionem etiam illicitè detentam, & non licet aliquid dare, ut tenet Innocentius in c. *Ad aures*, & *Glossa in c. Decens, 10. quæstion. 7.* Nam possessio est quid spirituale, & inde est, ut non cadat in laicum, c. *causam de rescript.* Vel saltem est connexa cum spiritualibus propter administrationem, quæ inde sequitur. *1. quæstion. 7. c. Si quis obierit.*

Puto tamen, quod si propter potentiam aduersarii, vel impotentiam non possit ita facile consequi apud superiores, quod tunc deuit magnum præiudicium, licet dare potest pecuniam, sicut in simili de absolutione ab excommunicatione obtinenda, ut dicit Ioannes Andreas in c. *Ad aures de simonia*. Hactenus Panormitanus. Innocentius in eod. c. *Ad aures*, cum posuisset huiusmodi quæstionem: An vexatio liceat imponere dare aliquid temporale, ut redimat vexationem suam? Respondet: Si vexatur in re spirituali, aut est in possessione, & tunc non peccat, si dat pecuniam, ne vexetur: aut non est in possessione, quia vel non est eam adeptus, vel est ea spoliatus, & tunc non est licitum dare pecuniam, ne vexetur, quia non solum redimit vexationem, sed etiam possessionem acquirit: & possessio vel est quid spirituale, vel saltem spirituali annexum, quia per possessionem consequitur quis usum, & administrationem spirituum.

Quæres, An sicut in beneficiis potest quis pecuniam dare, ne vexetur in iure, quod quæritur, vel in possessione quam habet, ita etiam possit aliquis pecunia vexationem redimere, ut absolutionem obtineat ab excommunicatione, *Glossa in c. Ad aures de simonia*. id licitum esse assumat. Innocentius vero negat. Ioannes Andreas *ibidem* conciliat utramque sententiam: Aut excommunicato, inquit, imminet aliquid præiudicium ex dilata absolutione, puta, quia speratur eligi, vel debet eligere, vel præscriptio currit contra eum, nisi agat, & tunc locum habet opinio *Glossæ*: Aut non imminet tale periculum, & tunc verum est, quod Innocentius dicit. Panormitanus *eodem in loco*. ait prædictam Ioannis Andree distinctionem esse satis probabilem & æquam.

Quid queritur, An Simoniacus sit Episcopus, qui beneficium confert alicui, eo pacto, vel animo, ut ex fructibus

beneficii aliquid ille soluat? Respondet S. Thomas in 2. 2. *quæstion. 100. art. 4. præp. faciem*, hoc modo: Circa collationem beneficiorum sciendum est, quod si Episcopus antequam beneficium conferat alicui, ob aliquam causam ordinaverit aliquid subtrahendum ex fructibus beneficii conferendi, & in pios usus expendendum, non est illicitum. Si vero ab eo, cui beneficium confert, requirit aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficii, idem est, ac si aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio simoniz. Ita Sanctus doctor.

Sed merito dubitat aliquis, quæ sit iusta causa, qua possit Episcopus beneficiis vacantibus aliquid subtrahere ex fructibus eorum in pios usus expendendum? Panormitanus in cap. *1. de Ecclesiastica beneficia num. 15.* ita scribit, Episcopus potest ex iusta causa, & necessaria statuere, ut reditus beneficii vacantis deponentur ad eorum & laudabilem usum, ita ut statutum præiudicet ad tempus elenco deno instituido.

Probat ex cap. *ultimo de verbo. significat.* & c. *Si propter tua debita de rescript. in sexto.* Ut si fructus beneficiorum vacantium retineantur ad restituendam, siue instaurandam eadem sacram, vel ad soluenda debita, quæ contraxit Ecclesia. Et in numero vigesimo tractat quæstionem, An Episcopus cum collegio canonicorum possit statuere, ut retineantur ad tempus fructus beneficiorum vacantium ad soluenda sua debita? Et respondet non posse, si debita contraxerit nomine suo privato. Nam si contraxit nomine Ecclesie in eiusque utilitatem, potest, ut constat ex cap. *1. de solutio.* Et hinc colligitur, quod habetur in c. *Tua vobis, de verbo significat.* intelligi de Privilegio summi Pontificis, quod fuerat concessum Episcopo cuidam, ut retinere possit fructus beneficiorum integro biennio vacantium ad sua debita soluenda. Nam quia debita erant contracta nomine Episcopi, non Ecclesie, ideo Episcopus absque Romani Pontificis auctoritate ac privilegio non poterat tales beneficiorum fructus ad tempus sibi retinere. Ergo simoniacus est Episcopus, qui beneficium confert alicui eo pacto & conditione, ut sibi vel aliquam pecuniam det, vel aliquam ex fructibus beneficii portionem: quia ut dixit S. Thomas, perinde esset, ac si exigeret aliquid munus ab eo.

Quid, si Papa conferat beneficium Titio ex pacto, ut sibi referret certam pensionem ex fructibus illius beneficii? et tunc simoniacus? Ratio dubitandi est, quia absque illo Simoniz vitio potest Romanus Pontifex beneficium in aliquem conferre, & illi onus imponere, ut soluat ex fructibus beneficii certam pensionem alteri: quod fit quotidie, cur ergo, sicut Papa potest referuare pensionem soluendam alteri, puta, Caio, non poterit sibi retinere eandem pensionem absque Simoniz labe? Rursus referuare pensionem nihil aliud est, quam beneficii fructus minuere, & aliquid ex illis detrahere: quod quamvis sit iure communi prohibitum: tit. *Ecclesiastica beneficia sine dominatione conferantur*, & proinde Episcopis non permittitur: at Rom. Pontifex quia potest iure communi derogare, potestatem habet imponendi pensiones. Ergo sicut non est simoniacus detrahendo partem ex fructibus beneficii, & eam referuando alteri, sic non erit Simoniacus, si detrahatur & retineatur sibi.

Hanc quæstionem attingit Sotus lib. 9. *de iustitia, quæstion. 7. art. 1. ad finem*, ubi dicit, in argumento fallaciam haberi. Nam etsi auctoritate, inquit, Pontificis commutanti beneficium, ut tenentianti referuatur pensio, non est tamen eadem causa in ipso Pontifice, ut sibi retineat, quandoquidem ipse, non est præbendæ dominus, vel ut ille, qui commutat, aut renouat. sed dumtaxat dispensator, qui ideo debet suam pro iusta causa interponere auctoritatem Ita Sotus.

Sed videtur nondum esse solum argumentum: hoc enim est quod queritur, cur Pontifex liceat, qui tamquam honorum Ecclesie dispensator, referuat ex fructibus beneficiorum, cum ea conferat, pensiones alius, non

possit etiam sibi eas retinere. Dicendum est: Cum referuat aliis, subest semper iusta aliqua causa id faciendi: nam quamuis alia cause desint, vt minimum ex pensiones referuantur in alimentum, & subsidium pauperum, præsertim clericorum: par enim est, vt clericos pauperes aliat, & sustentet Ecclesia. At verò id in summo Pontifice locum non habet: quare si pensiones sibi absque iusta causa referuat, à simoniae vitio non videtur alienus, beneficia conferendo, retentis sibi sine causa pensionibus. Et hinc est, vt summus Pontifex ex iusta causa possit beneficiorum vacantium fructus retinere, videlicet ad debita Romanæ Ecclesie solueda, ad necessarios vsus Apostolicæ Sedis, vt pote ad indigentiam, in qua est, subleuandam: ad Romanæ Curie ministros sustentandos, ad Cardinales eam egent, vitæ subsidio inuandos, ad bellum cum hostibus Christiani nominis gerendum, ad alios denique multos pios vsus.

Sexto quaeritur, Quid sit dicendum de statuto, quo decernitur, vt qui fuerit in canonicum receptus, certum quid soluat? In *c. Iacobus de Simonia* Pontifex mandat, vt Canonici extra cuiusdam Ecclesie auctoritate Episcopi dent ex prouentibus, & præbenda euidam, qui fuerit in canonicum admissus id, quod in vicibus et aliis canonicis dari solet, non obstant conuetudine, qua quis in canonicum receptus, præbendam ceteris canonicis præbere consueuerat, antequam pars prouentuum, & præbenda ei assignaretur. Hostiensis in eo capite dicit, solum consuetudinem damnari, qua is, qui in canonicum recipitur, dare aliquid consueuerat aliis canonicis in commodum, & utilitatem ipsorum, quale est præbendum, non tamen eam consuetudinem damnari, qua quis in canonicum admissus, dat aliquid in vsum ipsius Ecclesie, cuius est factus canonicus, & in cultum diuinum. Nam hæc consuetudo si extet, est licita, ita vt licet possit exigi id, quod est solitum dari. Immo potest, inquit, à principio curio recipi. Id probat *ex c. Significatum de præbenda. c. S. gualfridi, de elect.* Et quia tunc spirituale cum spiritui commutatur, videlicet canonicatus cum commodum Ecclesie, & cum eo, quod est cultum diuinum datur.

Panormitanus verò in eo capite distinguit sic: Aut nullum subest statutum, vel consuetudo, & tunc nihil debet exigi, etiam si fuerit conuertendum in vsum Ecclesie, & diuinum cultum, *ex c. Veniens. c. e. Quanto, de Simonia.* Nam in *c. Peniens*, statuitur, vt nihil exigatur, etiam præter consuetudinem ab eo, qui petit, vt in Religionem admittatur. Et in *c. Quanto*, decernitur, licitum non esse alieni dare bona sua extra Ecclesiam, vt ex illis præbenda instituantur, quæ postea ipsi in canonicum recepto assignentur. Aut subest statutum Ecclesie, & tunc, aut statutum imponit eiusmodi onus præbende, & viles in facultatem cultus diuini, argumento sumpto *ex c. Significatum de præbenda. c. cap. 1. Vt Ecclesiastica beneficia, c. e. si propter tua debita, de rescript. in sexto.* Aut imponit tale opus ei, qui in canonicum perpetuo recipitur, & tunc, inquit Panormitanus, forte statutum non valet, quia videtur esse contra id, quod habetur in *c. Ex multis. i. questio 3. vbi dicitur: Constitutum, & eodem modo firmamus, vt nullus cuiuscumque gradus clericus pro Ecclesie beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Ecclesiarum vel denaris Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum, quia teste scriptura: Qui aliquid male accepit, vt bene dispenderit, potius grauatur, quam iuuatur. Aut subest consuetudo, vt qui recipitur in canonicum aliquid det, & tunc non valet consuetudo, si quod datur, conuertendum sit in priuam utilitatem canonicum: valet autem, si conuertatur in vsum Ecclesie, vel cultum diuinum: dummodo tamen à principio pactum non sit, nec exigatur, nisi receptus sit aliquis in canonicum. Hæc ex Panormitano.*

Septimo quaeritur, An Titio liceat pecuniam dare Caio, vt beneficium vacare faciat? Respondet Syluester Antonium Barium secutus, id licitum Titio, non esse

qui beneficii vacatio viam, & aditum parat ad collationem beneficii: quare sicut beneficii collatio pecunia obtineti non potest, ita nec vacatio beneficii, quæ est quasi via ad collationem eius. Nam vacans beneficium peti & imperari potest: secus, quando non vacat.

Octaudo quaeritur, An Titius Simoniacus sit, offerens, siue promittens maiorem pensionem soluendam ex beneficio ad id facilius consequatur? Respondet, Simoniacum esse: nam in *c. Cum clericis, de passis*, habetur in huic modum: Cum clerici vestre iurisdictionis, deeedentibus Ecclesiaturum personis, pacifcantur ex ipsis Ecclesiis maiores solito solvere pensiones, vt facilius possint easdem Ecclesias adipisci, nos ad tam detestabile vitium extirpandum, fraternitati vestre mandamus, quatenus ne id attentate præsumant.

Vbi Panormitanus dicit, hoc locum habere in iis Ecclesiis, quæ auctoritate superioris soluunt certam pensionem, vel censum alicui superiori, quem augere licet non possunt, maxime ante collationem factam. Et multo minus is qui ad beneficium est promouendus, potest sua priuata auctoritate obligare se ad pensionem soluendam. Hinc fit, vt ii, qui in Curia Romana, auctoritate Romani Pontificis, promouendi sunt ad beneficia, cauere debeant, ne exprimat, cum petunt, vt sibi beneficia conferantur, maiorem solito prouentuum valorem, vt facilius beneficia allequantur, ex eo, quod vel maior pensio, vel absolutè, & simpliciter pensio in beneficio imponitur, quæ alioqui, vel non imponeretur, vel saltem in nouis beneficiis fructus minoris æstimationis esse crederentur.

Nono quaeritur, An Simoniaci sint, qui primos beneficii fructus dant in curia Romana, & qui soluunt vexationes consuetas? Sciendum est, dimidiam partem fructuum primi anni beneficiarios soluere Camera, siue fisco Pontificio, quando cumque annui redditus consueti excedunt summum viginti quatuor ducatorum aureorum, secundum communem Cameræ Apostolicæ æstimationem, quæ dimidia pars fructuum vocatur Annata. Hanc Annatam, vt testatur Plantina in vita Bonifacii IX. soluit si primus Bonifacius nonus. Idem etiam tradit Glossa in Pragmatica sanctione tit. de Annat. Gigas in tract. de Pensionibus, quest. 26. num. 1. quatinquam alii referant, eam à Ioanne vigesimo secundo esse institutam: quoniam Annatam Glossa in præfata pragmatica sanctione ait esse contra totius iuris diuini, & canonici constitutiones: quia dixit Christus Dominus, *Matth. 20. Quod gratis accepistis gratis date.* Tum etiam, quia, *quest. 1. c. 3. per multa capita* id liciti canones constituerunt. Insuper experientia, inquit, docuit, Annatas esse damandas, quia ex quo introducti ceperunt, qui minus digni, & idonei sunt, immo indigni, & qui pecuniis abundant, ad beneficia promouentur. Hinc accedit, quod ex Annatis datur occasio imponendi subditis nouas pensiones.

Præterea id probat Glossa prædicta, auctoritate Ioannis Andree, qui inter cetera, de officio iudicis ordio, scripsit, optare se, vt Pontifex Romanus reciperet vigesimam partem omnium prouentuum beneficiorum ex toto terrarum orbe, ad sustentationem sui, & Cardinalium, & ministrorum in Curia Romana: & vt nihil exigeret pro communibus seruitiis ex fructibus primi anni, exceptis stipendiis laborantium, puta scriptorum, & similibus: ac vt ex ea parte vigesima prouentuum prouideret Pontifex, legatis, & nunc iis, quos mittere consuevit in prouincias, & regna, & abstineret ab exigendis annatis. Addit tandem, de hoc fuisse tractatum in Concilio Viennensi, sed Prælatos ibi congregatos noluisse, vt id constitueretur, dicentes, si hoc fiat, istud, & illa succedentes postea Pontifices exigent. Concludit Glossa prædicta, S. Ludouicum Regem, & Carolum eo nomine Quintum, vetuisse, ne in suo Regno Annata exigentur, & soluerentur. Duarenus, *lib. 6. de sacris ministris. c. benefic.* videtur etiam Annatas damnare, & dicit in Concilio Basileensi, *sess. 21.* eas esse improbatas, eo quod cum iure diuino, & Canonico

pugnate videmur. Et quamuis, inquit, ex fructibus beneficiorum detrahi, pars aliqua possit, si necessitas, magnaue utilitas Ecclesie id postulet, verum id, generali Concilio eo acto, fieri deberet, vt apparet, illud heri in utilitatem Ecclesie, non in priuatum paucorum commodum, quod in Concilio Constantiensi *sess. 43.* prohibitum est.

Alii verò è contrario dicunt, Annatas iure diuino deberi: tum quia soluantur Romano Pontifici, tamquam in Ecclesia vniuersali dominium, & principatum habentium quia *numerosum 18.* præcipit Deus, vt omnes Leuitæ ex decimis sibi à populo datis soluerent decimam partem summo Sacerdoti, quæ pars dicebatur Decima decimarum.

In hac re, nulla profectò ratione dubitari potest, quin Annatæ omni Simonie vitio careant: nam si Pontifex potest statueret, vt qui in posterum beneficia obtinuerint, certam partem ex fructibus primi anni soluant in subsidium Christiani populi, bellum, & expeditionem parantis contra Turcas, & alios Christiani nominis hostes, cur non poterit referre primos beneficiorum fructus in subsidium ministrorum, & aliorum multorum, qui in Curia Romana inferuiunt? Dignus item operarius est mercede sua, & cibo, quo sustentetur, *Matthæi 10. Luca 10.* ergo is, qui in Curia Romana laborant, Annatæ soluantur, vt inde tales ministri, & operarii commodè sustententur. Quis enim militat stipendiis suis vnquam? ait Apostolus, *1. Corinth. 9.* Hinc est, vt Annatæ multorum Romanorum Pontificum auctoritate confirmatæ sint. Nec Glossa in *pragmat. sanctione*, nec Duarenus tam leuiter, & temerè damnare debuit Annatas. Multò prudentius sanè, ac modestius scripsit Ioannes Andreas, qui nullo modo improbauit Annatas, sed aliam rationem ostendit ac tradidit, qua posset commodius, suo quidem iudicio, consulti Curie Romanæ necessitatibus.

Præterea pro Annatarum iure plurimum facit id, quod *Numerorum 18.* diuinitus constitutum est. Leuitæ enim ex decimis, sibi à populo solutis, decimam partem summo Sacerdoti pendebant.

Decimo queritur, An Quindennia, quæ Romano Pontifici ex fructibus, quorundam beneficiorum decimoquinto, quoque anno soluantur, sint omni specie Simonie libera? Sciendum est, quindennia esse hæc ratione introducta: Beneficia aliquando vniuntur certo Collegio, Capitulo (sic vocant) Monasterio, siue Conuentui, quo amplius non vacent, quia vniuersitas non petit, & ideo elapsis quindecim annis à tempore vnionis factæ, Collegium, siue Monasterium, cui est annexum beneficium, soluit denuo partem & fructibus beneficii vniti, quoniam fingitur decimoquinto quoque anno eiusmodi beneficium vacare, eo quod si in certum clericum esset collatum, vacasset obitu beneficiarii inter illud tempus, vt etiam fortasse citius, & vacans beneficium alteri clerico conferretur, qui primo anno Annatam debitam solueret, Quare ne Camera siue Fiscus publicus tot Annatas amitteret, constitutum est auctoritate Pontificum, vt beneficia sic vnita iuris quadam fictione decimoquinto quoque anno quasi vacantia censeantur, & ex illis soluantur annatas, petinde ac si vacassent.

Quis verò primus Romanorum Pontificum instituerit quindennia, certo non constat. Quidam existimant, ea primum esse introducta à Paulo secundo, cuius extat constitutio, quæ incipit, Decret Romanum Pontificem.

Notandum est etiam, Quindennia olim solui solita esse tantum ex beneficiis vnitis auctoritate Romani Pontificis in curia Romana alicui collegio, monasterio, vel cuiilibet alteri Seminario, vel loco, causa communis pietatis extracto. Postea verò edita est constitutio à Sixto. Quinto, qua præcipitur, vt quindennia soluantur ex quibusvis beneficiis vnitis, vel resignatis in fauorem cuiuslibet collegii, vel monasterii auctoritate Legati, vel Nuncii Pontifici, vel ordinarij.

His positis dicendum est, prædicta quindennia nullum simonice vitium habere: sunt enim instituta in compensa-

tionem Annatarum, quæ solui deberent: sed Annata, vt probauimus, sunt profus literæ ab omni specie Simonie, ergo & quindennia.

Neque obstat, si dicas, cogi collegia, quibus sunt beneficia vnita, ac proinde quorum iam sunt beneficia, Annatam soluere, quando beneficia non acquirunt: hoc enim nihil impedit multis de causis. Possent enim Romanus Pontifex collegio beneficium vnite solum ad tempus.

Secundo posset beneficium, quod in collegium intrulit, pensionem imponere, in annos singulos soluendam.

Tertio, potest Pontifex ob commune ecclesie bonum à beneficiariis certam pensionem exigere, videlicet, vt ad certos annos ex suorum beneficiorum fructibus aliquid contribuant in communes Ecclesie vsus.

Vndecimo queritur, Quid dicendum sit de iis, quæ in Curia Romana taxationes vocantur? Cum enim beneficia à Romano Pontifice conferuntur, pontificie literæ expediti solent, in quarum expeditione certa quædam pecunie quantitas soluitur. Respondeo, nullum hic inesse Simonie vitium: vt tradunt Syluester de Simonie, *quæstion. 13. vers. 2.* & Angelus in verbo Simonie 3. *numm. 45.* Et ratio est, quia eiusmodi pecunia soluitur tamquam stipendium, & merces ministrorum, qui in huiusmodi literis expediendis operam suam, & laborem collocant, qui cibum suum merentur.

Duodecimo queritur, quid iudicandum sit de aliis multis compositionibus in Curia Romana solui consuetis? Respondeo, eas quoque omni simonice labe carere, vt patet de singulis.

In primis, cum iusurandum, vel votum, quo quis tenetur, auctoritate summi Pontificis relaxatur, siue remittitur, pecunia redimitur, & potest Pontifex pecuniam exigere, quæ soluitur certæ hospitali domui, vel collegio, vel Monasterio, tunc enim precio non emitur, vel venditur ipsa relaxatio voti, vel iusurandi, sed commutat Pontifex voti, vel iusurandi vinculum in aliud pium opus, videlicet in pecuniarum elemosynam, quam iubet Pontifex erogari in pauperum vsus. Sic etiam posset Pontifex hunc, vel illum soluere lege, & præcepto ieiunij seruandi, vel Missæ sacrum audiendi in die festo, & illonius imponere, vt certam pecuniam in pios vsus impenderet: nam tunc etiam in aliud commutaretur.

Secundo, potest iure Pontifex, dum hos, vel illos absoluit excommunicationis, interdicti, vel suspensionis vinculo, vel deique casibus reseruariis, pecuniam exigere, non quod pretio vendat absolutionem, sed quod in peccati penam pecuniarium onus imponat.

Tertio, in causis matrimonialibus solet pecunia solui, videlicet ab his, vel illis, qui intra quartum gradum consanguinitatis impediti sunt, ne matrimonio coniungantur, vt impetrent à Romano Pontifice canonici iuris relaxationem, & matrimonium contrahere queant: quibus relaxat Pontifex ius canonicum, cum iusta causa subest, & coguntur illi certam pecuniam summam soluere. Immo quo potentiores ditioresque sunt, plus pecunie soluntur. Neque Pontifex pretio ius canonicum relaxat: sed eam pecuniam exigit, vel in penam peccati, quod aliquando præcessit, vel si nullum reuera peccatum antecessit, id onus imponit, quia vnum vinculum commutat in aliud.

De Simonia, que committitur, in permutationibus beneficiorum.

CAPVT XII.

SCIENDVM est, iure canonico prohiberi, ne beneficiarii sua iure beneficia, priuata auctoritate permittant, *c. Majorib. de præben. c. Quasi de rer. permut. alioqui sua beneficia amittunt. c. Tunc olim de rer. permutat.*

Id autem iustus de causis est beneficiarum interdictum.

Primo, ne locum habeat clericorum cupiditas, auaritia & ambitio.

Secundo, ne de beneficiis, quæ sunt Ecclesiæ bona, tamquam de suis rebus profanis statuerentur.

Tertio, ne beneficiorum, vel aliorum bonorum patrimonialium, domini esse crederentur.

Quinto, ne in simoniae crimen incurrerent, quia permutatio non est contractus gratis, & liberaliter factus, sed cum onere, pacto, & commodo. Nam qui rem unam cum alia commutat, dat unum, & aliud recipit: ac Canonici retinent omne pactum, & conventionem in rebus sacris, & spiritualibus. *c. Quam pios. questio. 2. in capitul. ult. de pactis.*

Primo quaeritur, An simoniaci sint Titius, & Caius, si sua beneficia priuata auctoritate commutent? Respondeo simoniacos esse, quia beneficium est rei spirituali annexum, ergo nec eo pacto, & conventionem renunciari, confecti, & recipi potest, nec ita commodo, vel emolumento dato, & accepto.

Secundo quaeritur, An simonia, quæ in beneficiorum permutatione committitur, sit iure canonico tantum, an verò etiam diuino prohibita? Maior in 4. *Distinct. 23. questio. 5. c. 6.* & Sorus, *lib. 9. de Iustitia, questio. 7. art. 2.* dicunt, solum iure canonico prohiberi. Ratio eorum est, quia cum unum beneficium cum alio permutatur, non datur & accipitur temporale pro spirituali, sed spirituale pro spirituali. Vnde colligit Sorus, simoniam iure diuino prohiberi tam committere Titium, si beneficium suum cum re temporali pecunia æstimabili permutet, quia tunc dat spirituale, ut recipiat temporale: sic etiam si beneficium suum Titius precio recepto confectet, tunc enim rem spirituales pecunia venderet. Alii verò sentiunt, simoniam esse iure diuino damnatam, cum quis beneficium suum cum alio beneficio propria auctoritate commutat, quia facit contra Christi Domini præceptum: *Matthæi 10.* quod gratis accepistis, gratis date: nullam verò esse simoniam, si unum beneficium cum alia legitima superioris auctoritate permutatur.

Quod si illis obiciatur, cur simoniaca labes esset permutatio beneficiorum priuata auctoritate facta, & non sit, cum sit auctoritate superioris? Respondent: Quando beneficia auctoritate superioris legitima permutantur, caret ea permutatio pacto, & conventionem, & liberaliter fit: nam superior nihil aliud facit, nisi quod unum beneficium ex vna Ecclesia ad aliam transfert: quod beneficiarii priuata sua auctoritate facere non possunt: quod si faciant, tunc contractum ineunt, ut vnus alterius Ecclesiam habeat: & proinde illis contractus simoniacus erit, quia gratis & liberaliter non fit, sed ex causa, & pacto.

Cum verò beneficiorum permutatio sit superioris consensu, tunc renuntiationem vnus beneficii superior gratis admittit, & beneficium renunciatum alteri permutanti gratis, & liberaliter confect: si enim, qui beneficia permutant, auctoritate superioris, primum sua beneficia dimittunt, idque superior admittit, & deinde superior ea permutat, & ipsis denuò confect. Et quamuis iure canonico constitutum sit, ut beneficia, quæ permutantur, non aliis nisi permutantibus conferantur. *Clem. 1. de Rerum permutat.* hoc tamen ipsa iura liberè constituerunt. Secus autem est, quando duo beneficiarii sua beneficia, propria, & priuata auctoritate permutant: tunc enim vterque suum beneficium ex pacto, & conventionem, & recepto commodo dimittit, & permutat, non gratis. Quidquid Sorus, & Maior dixerint, satis est nobis in præsentem loco dicere, simoniam esse simpliciter, & absolute prohibitam, quando duo non superioris, sed priuata auctoritate, sua beneficia permutant, quia id faciunt contractu, qui gratis non fit. Sicut enim Simoniacus esset simpliciter Titius, si suum beneficium resignaret ex pacto, & conditione, ut Caius suum quoque dimitteret, quia eiusmodi resignatio gratis, & li-

beraliter non fieret, & ex resignatione vterque pararet sibi aditum ad beneficium alterius: ita simoniaci aut simpliciter essent Titius, & Caius sua auctoritate beneficia permutantes, quia vnus suum beneficium dimitteret, non gratis, sed ex contractu, ut haberet beneficium alterius.

Secundo quaeritur, An Titius, & Caius, qui volunt sua beneficia inuicem permutare, simoniaci sint, cum inter sese agant, & tractent de permutatione, si eis superior consensus perhibetur? Innocentius, & Hostiensis, in *c. Quæsum de rerum permutationibus* sentierunt, absque labe simoniæ eos de hac re tractare non posse, nisi prius superiorem adierint, & ab eo impetrauerint facultatem, qua de beneficiis permutandis agant. Id probant, quia *capite ultimo de pactis*, omnis conventio in rebus spiritualibus prohibetur. Et in *c. Quæsum de rerum permutationibus*, cauetur, ne fiat beneficiorum permutatio sine superioris consensu. Deinde, quia cum ii de beneficiis permutandis tractant, sibi inuicem fidem dant, & accipiunt de permutatione faciendâ: ergo eo ipso permutant, non quidem re, sed consensu, & lide data, & accepta. Præterea si quis donare prohibetur, eo ipso prohibetur quoque promittere donationem: ergo qui beneficium permutare prohibetur, nequit permutatio nem promittere.

Sed hæc Hostiensis, & Innocentii opinio communi consensu Doctorum est consultata, ut patet ex *Glossa, & Panormitano, & aliis in c. Quæsum, de rerum permutationibus*, quos sequuntur Angelus, in verbo *Permutatio num. 4.* Siluester eodem verbo 2. *questio. 5.* Tabienfis in verbo *Beneficium. 3. questio. 15.* Et hanc sententiam consuetudine Curie Romanæ esse receptam, dicit Regidius in *tractat. de Permutationibus beneficiorum. part. 2. questio. 4. num. 4.* Ratio est, quia Titius, & Caius de permutandis beneficiis agunt inter se, totam rem in superioris voluntatem conferunt. Vnde non tractant de permutatione sine superioris consensu complecti, nam si sic agerent, animo, & voluntate, simoniæ crimen non effugerent, quia vellent tunc illi sui inter se beneficia permutare extra superioris consensum, & auctoritatem. Quare necesse est, ut postquam de ea re inter se tractauerint, aperiant superiori pacta, & conuenta, & quidquid egerint, & fidem, quam dederint, & acceperint.

Quid, si non solum permiserint beneficia permutare, sed etiam confecerint instrumentum, quo se ad permutandum sua beneficia obligauerint? Respondeo, nullum eos simoniæ crimen admisisse, si expresserint se nihil meturos, nisi accedente legitimo superioris consensu, ita ut declarent se solum negotium velle perficere auctoritate superioris, cuius est permutationem approbare. *Angelus, Siluester, & alii locis supra citatis.*

Ad Hostiensis, & Innocentii argumenta respondeo, Ad primum in *cap. ult. de pactis*, tamquam simoniacam condemnari omnem conventionem in spiritualibus propria auctoritate contrahentium factam.

Ad secundum, in *c. Quæsum, de rerum permutat.* solum cauetur, ne beneficiorum permutatio fiat absque superioris assensu.

Ad tertium, permutationem, & promissionem de beneficiis permutandis prohiberi, ne priuata auctoritate fiant. Vnde sicut Titius propria auctoritate nequit suum beneficium cum Caii beneficio permutare ita nec potest permutationem promittere priuata ipsius auctoritate perficiendam.

Tertio quaeritur, An sint simoniaci Titius, & Caius sua beneficia inæqualis permutantes, habita ratione non solum fructuum, sed etiam honoris, dignitatis, vel iurisdictionis, quæ beneficiis adherent? Respondeo, simoniacos esse. Verbi gratia, Titius permutat Decanatum, vel Archidiaconatum cum Canonicatu, vel alio simplici beneficio, vel cum pluribus simplicibus beneficiis Caii, quorum fructus ac proventus æquantur cum redditibus Decanatus,

vel Archidiaconus. Et quia Diaconatus, vel Archidiaconatus dignitatem habet, & exigit certam pensionem, tota ea permutatio simoniaca labe vitatur, quia ratione rei spiritualis temporale commodum percipitur: quemadmodum si calix facer cum alio consecrato calice commutatur, estimari debet utriusque calicis materia, non autem eorum consecratio.

Tertio queritur, An sit permutatio simoniaca, qua beneficium cum pensione Ecclesiastica commutatur? Respondeo, simoniacum esse, quia Ecclesiastica pensio beneficium non est, ut suo loco dixi, & potius in fructibus consistit, quam in spiritualibus. Vnde Titius beneficium permutaret potius cum emolumento, & commodo temporali quam cum spirituali.

Quarto queritur, An sit Titius simoniacus beneficium suum permutando cum beneficio Caii, ea conditione, ut Caius soluat impensas, quas Titius fecerat in suo beneficio? Respondeo, hic esse distinguendum. Aut enim Titius impensas fecerat nomine Ecclesie, aut suo: item, aut in utilitate beneficii, vel Ecclesie, aut in utilitatem suam. Potest absque simonia impensas exigere, quas fecit nomine Ecclesie, vel in utilitatem beneficii: non autem eas quas fecit nomine suo, vel in bonum, & commodum suum. Qui enim succedit alteri in beneficio, debet solvere impensas per antecessorem suum factas nomine Ecclesie, vel in utilitatem beneficii, non alias. Hinc etiam est, ut simoniacus sit Titius suum beneficium permutans cum beneficio Caii eo pacto, ut Caius conducatur fructus vnius, vel duorum annorum, quos Titius non perceperat, & difficile percipiet, nisi Caius conduxerit. Ratio est, quia non permutat simpliciter beneficium cum beneficio, sed ex tali permutatione commodum reportat, nimirum fructus praeteritos, quos nondum perceperat, nec poterat facile percipere, & obligat sibi Caium ad conducendum eos.

Quinto queritur, An simoniam Titius committat, causa permutationis, beneficium suum dimittens, ut Caius det vicissim suum, sed quia Caius nullum beneficium habet, assignat certos annuos redditus, vel certam pecunie quantitatem, in quibus beneficium superioris auctoritate resignatum constituitur? Respondeo, simoniam admittere, quia non permutat beneficium cum beneficio, sed cum pecunia, vel cum re pecunie estimabili, & ita Titius est beneficii venditor, & Caius emptor.

Sexto queritur, An simoniaca sit permutatio beneficiorum, vulgo dicta Quadrangularis, & Triangularis. Quadrangularem vocant permutationem, cum Petrus V. g. suum beneficium resignat, & dimittit in gratiam Pauli, Paulus idem suum, gratia, & favore Ioannis, & Ioannes suum in gratiam Francisci, & Franciscus vicissim suum causis, & favore ipsius Petri. Triangularem appellant, cum sit permutatio inter tres, hoc modo, videlicet, Petrus renuntiat beneficium suum in gratiam Pauli, hic in favorem Ioannis, & Ioannes gratia ipsius Petri? Respondeo, in his non esse veram permutationem, quia permutatio beneficiorum iure permissa non est, nisi inter duos. In beneficiorum item permutatione est resignatio, & dimissio beneficii: at resignatio, seu renuntiatio beneficii in gratiam, & favorem alterius, cum pacto contineat, est iure prohibita.

Quare, quae vocantur Quadrangulares, vel Triangulares permutationes simoniacas esse, & iure communi damnatas, testatur Collect. in cap. 1. de rerum permutat. prope finem, & Imola Clem. 1. eod. tit. num. 40. vers. Quod semper tres, & Caputaquensis par. 2. Decis. 325.

Ultimo queritur, An simoniaca sit permutatio, qua Titius dimittit, siue resignat beneficium suum in gratiam Caii, & hic suum in gratiam nepotis ipsius Titii? Respondeo, simoniacam esse, & iure communi damnatam. Ansharan. cap. 1. de Rerum permutat. in sexto, vers. Tria colligit. Gemianus eod. cap. vers. An valeat permutatio, Frä-

cus ibidem vers. In textu, ibi: Sua beneficia, Beneficius in Clem. 1. de Rerum permutat. n. 43. Sarnensis in reg. de publican. resignat. quae 3. vers. Ibi, primo, quia regula, Caputaquensis par. 2. Decis. 325. Et ratio iuris est, quia nemo potest permutare nisi suum beneficium, & in ipsa permutatione est renuntiatio beneficii, ergo cum Titius suum beneficium permutat cum beneficio Caii, uterque suum beneficium dimittit, & resignat causa permutationis, non absolute, & simpliciter: ac proinde beneficium Caii debet conferri Titio, non nepoti ipsius, Titius enim non nepos eius, qui beneficium non habet, beneficium permutat. Item permutatio beneficiorum non nisi inter duos iure permittitur, hic verò inter tres fit permutatio.

De Simonia, qua committitur in pensionibus Ecclesiasticis.

CAPUT XIII.

PRIMO queritur, An citra Simoniam vitium pensio imponatur in fructibus alterius beneficii, quod non est resignatum, absque eo quod imponatur in fructibus resignati beneficii? V. g. Titius dimittit, siue resignat suum beneficium patre, & simpliciter coram Romano Pontifice, qui potest in beneficiis pensiones imponere, & Pontifex illud beneficium Caio confert, & quia tenues fructus reddit, non imponit pensionem in eo beneficio, resignato & collato Caio, sed in alio beneficio, quod Caius habet. Queritur, An hæc reservatio pensionis sit simoniaca? Ratio dubitandi est, quia id videtur illicitum; petinde enim est, ac si Pontifex beneficium Caio conferat pretio annue pensionis. Pontifex itidem simoniacus esset conferendo beneficium Caio, & imponendo pensionem in patrimonio ipsius Caii. Ergo pari ratione, si imponat pensionem in alio beneficio, quod Caius habet. Respondeo, nullam simoniam per se, & ex natura rei admitti in huiusmodi casu, quia idem iuris est in pensione, quæ imponitur in fructibus beneficii, cum conferatur in aliquem, quod est in pensione, quæ imponitur in fructibus beneficii antea collati. Nam summus Pontifex plene, ac liberè potest de beneficiis statueri, & sicut potest onus imponere beneficio, quando illud confert: sic potest imponere beneficio, quod antè contulerat. Nam beneficia sunt bona, quæ summi Pontificis auctoritate dispensantur, & iustis de causis potest Pontifex illorum fructus ad tempus reservare, & in pios usus impendere. Dispar verò ratio est de bonis patrimonialibus clericorum: illa enim non subsunt libertæ voluntati Pontificis, quare beneficium nequit conferre clerico ea conditione, ut solvat ex suo patrimonio annuam pensionem: hoc enim petinde esset, ac si beneficium ei venderetur.

Secundo queritur, An Titius, qui auctoritate legitima Romani Pontificis data est facultas transferendi pensionem ex toto, vel ex parte in unum, vel plures, simoniacus sit, si eam transferat pecunia accepta ab eo, in quem transferat? Hanc questionem tractat Gigas de pensionibus, quæ 59. Ratio dubitandi est, quia pensio non est quid spirituale, aut spirituali annexum, siquidem in laicum cadere potest, ut constat ex Baldo, Felino, & aliis in c. Ad audientiam 2. de rescript. & probat. Gigas Tract. de pensionibus, quæ 59. 21. ergo non videtur Titius Simoniacus esse, si recepta pecunia pensionem sibi debitam in alium transferat.

Gigas, quæstione iam citata in utraque partem argumenta proponit, & tandem numero 22. ita concludit: Ex prædictis videtur de iure dici posse, quod Simoniacum nõ sit pecuniam dare pensionario, habenti facultatem transferendi pensionem pro obtinenda translatione pensionis.

Quam

Quam conclusionem intellige sanè procedere in simplici pensione, siue illa habeatur ex causa onerosa, puta ex causa resignationis beneficii, vel cessionis iuris, & litis, siue ex causa lucratiua, secus autem esset in pensione, quæ clerico ea lege assignatur, vt sit de cætero Ecclesiasticum beneficium. Sic ille. At numero 24. ad finem ait: (Consulerem tamen, ne id fieret, quia bonarum mentium est tibi culpam timere, vbi culpa non est. Quinimò vbi animæ periculum timetur, semper etiam diuor pars, quæ animæ fauet, tenenda est, et. *Iuuenis de sponsal. & cap. sicut Dist. 14.* & honestas repugnare videtur, quod pensio, quæ est onus, & seruitus quedam, ipsi beneficio super eius fructibus imposita, pecunia acquiratur. Haftenus ille.

Dicendum est, pensionem, quæ clerico tamquam clerico dari solet, transferri non posse, pecunia recepta ab eo, in quem transferretur absque simoniae vitio.

Primo, quia reuera est quid spirituale rei annexum, si quidem datur clerico tamquam clerico, nec referuari potest alicui, nisi Romani Pontificis auctoritate.

Secundo, quia tamen datur Clerico in alimentum, & subsidium vitæ, nihilominus tamen est ius percipiendi certam partem ex fructibus beneficii.

Tertio, quia dabitur non potest, quin sit onus, & seruitus quedam imposita beneficio, vt beneficium est quid rei spirituale annexum, ergo etiam pensio, quæ est onus impositum beneficio. Si quæras, Ad huiusmodi simonia, quæ translatione pensionis committitur, parus iure in simoniacos constitutus, puniatur? Respondeo, minimè, quia eiusmodi penæ constitutæ sunt in simoniacos beneficiarios, at sicut pensio beneficium non est, sic etiam pensionarius non est beneficiarius.

Tertio queritur, An pensio possit absque simonia auctoritate Romani Pontificis anticipatis solutionibus redimi? Respondeo, posse, quia huiusmodi simonia non est iure diuino prohibita. Deinde, quia multis iam annis est in curia Romana consuetudine receptum, vt pensiones facultate pontificia, anticipatis solutionibus redimi queant. *Hæc est opinio Gigantis in q. 87. de pensionibus, vbi numero 5. citat Paulum Romanum idem sententem.*

Quarto queritur, An Titius pro simoniaco habendus sit, si pensionem absque Romani Pontificis auctoritate pecunia redimat? Caietanus in *Opusculis tomo primo, tract. 31. Responsione 2.* censet, pensionem esse quid temporale, & ideo posse pecunia redimi. Sed non declarauit ille, an redimi debeat auctoritate superioris, an verò id fieri queat priuata auctoritate. Maior in 4. *Distinct. 15. questione quinta.* censet pensionem esse quid spirituale, quia, inquit, non est portio fructuum, quæ percipiatur, sed ius exigendi pensionem, & ideo putat non posse pecunia redimi. Vbi, si negauit Maior id fieri posse auctoritate Pontificis, contra eum est consuetudo in Curia Romana recepta, vsque approbata: quotidie enim Pontifex facultatem concedit, vt pensiones pecunia redimantur. *Sotus libro nono de Iustitia, questione septima art. secundo,* ita distinguit: Aut pensio, inquit, referuatur laico, & illa est quid temporale, & proinde potest pretio redimi: aut referuatur clerico, quia suum beneficium resignauit, vel lite cessit, vel quia est prima tonsura insignitus, & illa est quid spirituale, & propterea non potest redimi pecunia.

Sed absolute dicendum est, pensionem clerico assignatam non posse pretio redimi priuata auctoritate pensionarii, & beneficiarii, in cuius beneficio est imposita pensio, auctoritate verò Pontificis potest anticipatis solutionibus redimi. Et Pontifex cum pensionem alicui referuatur in beneficio alterius, solet facultatem concedere beneficiario pensionem redimendi tamque extinguendi, anticipato soluendo. Hinc efficitur, vt pensio non sit sim-

pliciter ac proprie quid spirituale, datur enim in alimentum, & subsidium vitæ: at verò, quia pensio est ius quoddam percipiendi certam portionem fructuum ex beneficio alterius, ideo prohibitum est, ne priuata auctoritate sine consensu Pontificis redimatur, alioqui enim eiusmodi redemptio tamquam Simoniacæ in iudicio haberetur.

Potest quando facultas à Pontifice datur, vt redimi pretio queat, solet in curia Romana redimi anticipatis solutionibus, vel quinque, vel sex, vel, vt summum, septem, vt dicit *Gigas de pensionibus, questio 87.* Et hoc locum habet, quando pensionarius valetudinis, vel ætatis est bonæ, & integræ: nam si fuerit, vel senex, vel incommodæ, & infirmæ valetudinis, paucioribus solutionibus redimitur.

Quinto queritur, An pensio possit exigi, & percipiuta conscientia, literis pontificis minimè expeditis? Paulus, & Bellameta, Oldradus, Nicolans Milis, & Baldus, vt refert *Gigas, questio 34. de pensionibus,* sentiunt exigi non posse, sic etiam Rota *Decis 32. & Glossator in Regula Cancellaria 27.* Idem sentit abbreniatores, testatur Mandosius, *questio 7.* eandem regulam Cancellariæ de non iudicando secundum formam supplicationis. At Innocentius, Ioan. Andreas, & Archidiaconus, Dinus, Philippus, & Glossa, teste *Gigante quest. supra citata, num. 6.* censent, tuto posse exigi, vti etiam Rebusius de Pacificis possessori. *num. 137. conclus. 211. & in praxi Beneficio par. 3. Signatura, in verbo Datum num. 21.* Hi auctores loquuntur de iure, quidquid autem sit de iure communi, standum est consuetudini in Curia Romana receptæ, in qua literæ Pontificæ non solum expeditur ad beneficii impetrati possessionem approbandam, sed etiam ad pensionem Pontificis auctoritate concessam, exigendam.

Quæres vtrius impensis, pensionarii, an beneficiarii expediendæ sint literæ pontificæ, quibus pensio conceditur? Respondeo, standum esse consuetudini Romanæ Curie, vel mandato Pontificis: potest enim Pontifex precipere, vti beneficiarius soluat impensas vtriusque, nimirum, quæ fiunt tum in expediendis literis pro beneficio, tum etiam in literis pro pensione exigenda, vt liberet vni onere pensionem, quæ in alimentum & subsidium vitæ datur: alioqui enim ad pensionarium pertinent impensæ, quæ fiunt in literis pensionis exigendis.

Sexto queritur, An clausula apponi solita in referuationibus pensionum, videlicet, vt pensio soluatur habita possessione beneficii, siue non habita, omni simoniae vitio sit libera. Ratio dubitandi est, quia pensio est onus, quod imponitur beneficio, ergo imponi non potest in beneficio, quod nondum possidetur. Deinde pensio est portio, quæ ex beneficii fructibus pensionario debetur: sed beneficii nondum possessi nulli fructus extant, ergo imponi nequit obligatio soluendi pensionem. Accedit quod eo ipso beneficiarius obligaretur ad soluendam pensionem, vel ex suo patrimonio, vel ex solo titulo beneficii: at vtrumque est absurdum. Præterea fieri potest, vt beneficiarius in culpa non sit, quod beneficii possessionem nactus non fuerit, ergo contra ius cogitur pensionem soluere. Mandosius in *praxi signaturæ Gratia in verbo Pensiones, artic. 1.* prædictam clausulam ab omni iniustitiæ, & simoniae vitio esse saluam. Id probat. Primo, quia multis annis auctoritate pontificia consuevit apponi. Secundo quia quisque potest sua sponte obligare se ad onus sustinendum, & scienti, & volenti non fit iniuria. Tertio, quia eiusmodi clausula apponitur ad euitandas lites fraudes, & mendacia. Solet enim esse magna difficultas in probandâ apprehensione possessionis, & in probando quis sit legitimus possessor, & quis in possessionem intrusus. Vnde multi adepti iam pacificam possessionem, probant se nondum esse beneficii possessionem consecutos. Vitio, quia tamen beneficii nondum possessi beneficiarius fructus non habet actu, habet tamen habitu, iure, & spe.

Potest stylus Curie hoc habet, ut prædicte clausula, quamuis generaliter ponitur, locus non sit, nisi quando beneficius culpa sua possessionem beneficii non apprehendit. Ita ut quando utrumque consistit, eum sine culpa sua beneficii possessione carere, quia sine culpa sua possessionem apprehendere nequit, non cogatur solvere pensionem.

De Simonia, que committitur in mandandis vicibus Prælatorum, vel in fructibus beneficiorum locandis, vel resignandis.

CAPIT. XIII.

LIBRO quinto Decretalium titulus quartus ordine hic est: *Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.* Unde in capite *Præterea, & c. Quoniam in quibusdam, & c. Quoniam enormis*, simoniacus habetur Episcopus, Decanus, Archidiaconus, vel Archipresbyter, vel quisvis alius Prælati, qui pretio recepto suas vices committit alicui, hoc est, suam iurisdictionem, potestatem. Iurisdictionem enim Episcopi, vel alterius Prælati, est quid spirituale. *c. Decernimus de iudicis.*

Primo queritur, An Vicarius simoniacus sit, qui ab Episcopo, vel alio Prælato constituitur, & recipit certum salarium? Respondeo cum Glossa, Panormitano, & aliis in *c. Præterea citato*, non esse Simoniacum.

Sed cur queratur, Episcopus Simoniacus est, committens, pretio recepto, suas vices Vicario à se constituto, non autem ipse vicarius pretium ab Episcopo recipiens? Respondeo cum Panormitano in eodem loco, quem supra memorauimus, longe diuertim esse rationem: quia vicarius recipit debitum sui laboris, & operæ stipendium: locat enim Episcopo suas operas, nec vilo iure cogitur suo stipendio militare. *cap. Cum ex officio de prescrip.* Unde alibi statuitur salarium, *c. Statutum §. Assessorum de rescript. in sexto* & Aduocatus licet vendit patrocinium suum, *c. Non sanè. t. 4. quæstion. 5. & 12. quæstion. 2. c. Charitatem*, dicitur: (Visitatores Ecclesiarum, clericique eorum, qui cum ipsis non per suæ ciuitatis parochias frangantur, aliquid laboris sui capiant, te disponente subsidii: iustum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodate reperiuntur obsequium:) sic ibi. At verò Episcopus, qui Vicarium constituit, si pretium accipiat ex eo, quod suas vices committit, iurisdictionem suam vendere videtur, immò stipendium, siue salarium potius censere debet ei, quem in Vicarium conducit, quam ab eo pretium recipere, ex eo quod Vicarium eum sibi delegit. Hinc patet, simoniam etiam ab eo Episcopo committi, qui Vicarium constituit eo pacto, ut ille sit minori stipendio contentus, quam sibi debeatur, vel ea lege, & conditione, ut Episcopus habeat sibi aliquam partem proventuum, spectantium ad Vicarium ratione muneris, & officii, quo ille fungitur.

Secundò queritur, An sacerdos rector Ecclesie, qui ad certum tempus vicarium, vel adiutorem constituit, aut sibi delegit sine auctoritate Episcopi in perpetuum, aut ad longum tempus, siue auctoritate sua ad modicum tempus, puta ad vnam, vel duas hebdomadas, ut ait Panormitanus in *c. Quoniam 2. num. 3. Ne Prælati vices suas* simoniacus sit, eum diligens eo pacto, ut ille emat, vel conducat fructus sui beneficii, siue iam præteritos, quos rector nondum peteperat, siue futuros. Respondeo, simoniacum esse, quia suas vices vel ex parte committit, recipiendo eorummodum temporale: nam obligat sibi Vicarium, vel Adiutorem ad emendum, vel conducendum fructus sui beneficii, & hæc obligatio est pecunia æstimabilis. Licet verò est ei locare, & vendere sine vlla conditione, pactione, vel beneficii fructus: vel è contrario, primo vendat, vel locet ei fructus purè, & simpliciter, & deinde constituat eum Vicarium,

vel Adiutorem: sicut enim potest cuius alteri eos vendere, vel locare, sic etiam ei, quem sibi constituere vult Vicarium, vel Adiutorem.

Tertio queritur, An Prælati vendere, vel locare queant obventiones suæ Ecclesie? Respondeo, posse. *Glossa, & Hostiensis, Panormitanus, & alii in c. Querelam, Ne Prælati vices suas*: dummodo tamen, si locauerit, vel vendiderit laico, constituat clericum, qui nomine, & loco laici colligat obventiones, ne forte laicus ad altare accedere cogatur, ubi sunt oblationes.

Quarto queritur, An clericus possit sui beneficii fructus locare? Respondeo, posse ad modicum tempus *in c. a. Glossam Clem. 1. de reb. Eccles. non alienan.* quod censetur tempus infra decennium: quæ sententia est communi consensu recepta. Existat autem Pontificia constitutio Pauli II. quæ incipit: *Ambitiosa, inter extravagantes communes de reb. Eccles. non alienan.* ubi prohibentur clerici, siue regulares, siue seculares alienare, vel in hypotheccam obligare, seu coheredere, vel in Emphyteusim dare, nisi in casibus iure permissis, aut res in Emphyteusim dari consuetas, vel locari ultra triennium res Ecclesiarum suarum. De qua constitutione alibi in locis dixi.

Quinto queritur, An cum Prælati vendit omnes obventiones Ecclesie, transeat cum illis intelligatur commodum iurisdictionis, nisi ea fuerit excepta.

Respondeo, simul cum illis transeat: hoc tamen si iurisdictionis fuerit spiritualis, in laicum non transeat, quia non est talis iurisdictio capax: at in Ecclesiam, vel Religiosorum Collegium transferatur via cum vniuersitate obventionum, quia est capax iurisdictionis spiritualis.

Sexto queritur, An officia Ecclesiastica absque simonia vitio vendi, & emi queant? In *c. Si quis Episcopus t. quæstion. 1. Ex Concilio Chalcodonensi* habetur, pecunia constitui non posse dispensatorem, vel defensorum vel quemlibet, qui subiectus est Regulæ. Et in *cap. Saluator, t. quæstion. 3.* tamquam simoniacus Episcopus damnatus, qui Procuratorem, vel defensorum, Ecclesie, vel quemquam regulæ subiectum per pecuniam ordinauerit. Et ibidem nonne procuratoris intelligitur quilibet Ecclesiasticarum rerum administrator, ut Verbi gratia, Præpositus, Oeconomus, Vicedominus. Defensorum verò nomine, Aduocatus, Castaldus, & iudex. In subiecto verò regulæ intelligitur Archipresbyter, Archidiaconus, Diaconus, Canonici, Monachus, vel quilibet Ecclesiastico mancipatus officio, Glossa in eodem *c. Saluator, in verbo Præpositum* explicat, quo modo huiusmodi nomina distinguantur: Vicedominus, inquit, est, qui præest rebus Episcopi *c. Volumus, Distinct. 89.* Oeconomus est, cui res Ecclesiastica gubernanda mandatur. *L. Iubemus, C. de Sacrosanctis Ecclesiis.* Aduocatus, qui præest tantummodo causis tractandis. Castaldus, qui habet curam externarum rerum, qui dicitur alios, Maior domus, *cap. Volumus distinct. 89.* Alii Castaldum autem esse eum, cui res Domini committuntur, ita ut Castaldus sit idem, qui procurator, cui Domini rerum suarum administrationem committit. Oeconomus dicitur Actor, seu dispensator Ecclesie, quibus scilicet rerum Ecclesiasticarum gubernatio, & dispensatio consensu Episcopi conceditur. *L. Omnes, qui quascumque, §. Hoc nihilominus obseruandum, c. de Episcopis, & cler.* Vicedominus est, qui res Domini vice ipse administrat, eiusque vicariam operam præstat. Item, Vicedominus est in iure Canonico, qui è clericorum numero, Episcopatum administrat, *c. Volumus, & c. Diaconum, & c. Sequenti, Distinct. 89.* Unde proprie in iure canonico Oeconomus est, qui res canonicorum administrat: Vicedominus, qui Episcopi *c. Consulere, de Simonia.* Syndicus est, qui ab aliquo collegio, vniuersitate, vel ciuitate ad causam ipsius agendam deligitur, ita ut actor sit, qui priuati hominis causam agit. Syndicus, qui Collegii, vel vniuersitatis, vel ciuitatis. Syndicus idem Græcè est, qui Latine dicitur defensor.

Sed quæstio est, An vendere huiusmodi officia, sit per se Simoniacum? Respondeo, nomine officii in iure canonico aliquando intelligi beneficium Ecclesiasticum, & tunc Simoniacum esse per se, & simpliciter, vendere Ecclesiasticum officium, quemadmodum vendere beneficium.

Aliquando officia Ecclesiastica dicuntur ipsa clericorum officia, videlicet, quæ clerici ex suis ordinibus exercent, & obeunt, quale est officium ostiarii, exorcistæ, lectoris, & Acolythi, & aliorum superiorum clericorum: & venditio horum officiorum est per se simoniaca, quia talia officia existunt, & pendunt ex ordinibus. Vnde nequeunt vendi, nisi ordinibus quæque ipsi vendantur, quæ est simonia iure diuino damnata.

Alia officia sunt, quæ non descendunt ex ordinibus, quæque sunt Ecclesiæ auctoritate instituta: Et hæc aliquando talia sunt, vt non nisi per clericos exercentur: alia verò sunt, quæ per laicos fieri solent. Primi generis officia vendere, non est per se simoniacum, sed ideo simoniacum est, quia prohibetur. *Glossam c. Saluator. i. quaestio. 3. in verbo. Et iudicium* & ratio huius est, quia nec sunt spiritualia, nec spiritualibus annexa: & sic, Ecclesiæ ea instituit, ita etiam abrogare, & abolere potest, si velit: prohibuit tamen ne pretio conferantur. Et hinc est, vt si Romanus Pontifex ea venderet, simoniacum non sit. Itam Curia Romana per eaque huiusmodi officia vendi solent, quale est Camerarii, Thesaurarii, Auditorum Camere Apostolicæ officium. Episcopi verò, vbi consuetudo est præscripta, vt similia officia vendantur, minime simoniaci sunt: at vbi talis consuetudo non est, qui ea vendunt, tamquam simoniaci condemnari possunt.

Officia verò, quæ per laicos exercent solent, vendere, simoniacum non est, quamuis turpe esse videatur tale lucrum, præsertim si officio coniunctum sit iudicium. Nam vt ait *Panormitanus in cap. Præterea, ne Prælati vicis suis, num. 4.* ex tali venditione subditi damno officium ut, quia is, qui emit officium, vt aliquid vitæ pecuniam datam lucretur per fas & nefas pecuniam extorquet, & modicam culpam delinquentis facit grauiorem, & sæpe punit pecuniaria multa eum, cuius persona grauius puniri deberet.

De Simonia, quæ committitur in præsentatione, vel nominatione clerici ad beneficium.

CAPVT XV.

SIMONIA CVM est, quando Patronus offert, siue præsentat, siue nominat clericum ad beneficium, pecunia recepta, vel eo pacto, vt temporale commodum accipiat, *cap. i. de transact.* Item Simoniacum est Patronus, quando pacifiscitur cum clerico, quem instituendum proponit, nominat, & offert, vt beneficium resignet, siue dimittat, quemadmodum Patronus ipse petierit, vel si ita cum eo conuenierit, vt resignet beneficium in gratiam, & fauore eius, quem Patronus nominauerit, vel si pactum fecerit, vt clericus certam partem soluat ex fructibus beneficii, vel vt consensum præter pensionem in beneficio imponenda.

Insuper Simoniacum est, qui ad beneficium promouetur ex pacto cum Patrono, cui promittit se nihil petiturum ab eo, *c. Per tuos 3. c. Si quis, de Simonia.*

Primo quaeritur, An simoniacum sit Titius, qui ordinatur ad titulum patrimonii, vel pensionis, quam sibi Caius donauit, sed ea lege, & conditione, vt postea ipsi Caius restituat, vel ne aliquid à Caio petat? Respondeo, Simoniacum esse, & in iuris poenas contra Simoniacos consi-

tutas incurrere, quia sicco titulo patrimonii, vel personis ordinatur, & ex pacto, vt rem sibi donatam restituat, vel ne eam exigit.

Secundo quaeritur, An Patronus possit aliquid exigere ab Ecclesiâ, vel aliquid onus imponere Ecclesiæ, vt tamquam Patronus agnoscat? Respondeo, minime, si id exigat priuata sua auctoritate. *Panormitanus in c. Præterea, 2. de iure patrona.*

Quærit, an possit certum aliquem censum sibi reseruare consensu Episcopi, quando fundat, dotat, vel ædificat Ecclesiâ? Respondeo posse, *ex c. Præterea, modo citato.* At verò post fundationem, donationem, vel ædificationem Ecclesiæ nullum onus potest imponere Ecclesiæ, nisi reseruatum fuerit auctoritate Episcopi tempore fundationis, donationis, vel extructionis Ecclesiæ, sed poterit ne Patronus vendere annuum censum, quem sibi conuenit Episcopi reseruauit? poterit, dummodo consensum Episcopus præstet, & ius patronatus penes ipsum remaneat.

Quid si Titius in testamento mandauit Ecclesiâ fundari, vel construi, reseruata sibi certa pensione annua hæreditaria solueda? Respondeo, eam hæredem exigere non posse nisi id auctoritate Episcopi constituat.

Tertio quaeritur, An patronus ius patronatus possit alteri dare? Respondeo, cum abique Episcopi consensu donare non possit laico, vel clerico, vbi habeat nomina, & titulo patrimonii, siue nomine proprio. Ita Hostiensis, Ioan. Andree, *cap. Illud de iure patrona. Archiepiscopus. cap. i. de iure pa. in sexto, c. c. Pia mentis 10. q. 7.* quamuis Innocentius, & quidam alii sententiam oppositam. Sed vt ait *Panormita. in cap. Illud de iure patrona. n. 5.* prima sententia est communior, & verior. Ecclesiæ verò, siue religiosa d. mui potest donari sine consensu Episcopi, *cap. Illud, de iure patrona.* Ratio diuersitatis est, teste Panormitano eodem in loco, quia laici solent Ecclesiâ magis onerare, quam clerici, deinde, quia si clerici fines sunt, & potestatis excellentias, facilius per Ecclesiâ reprimi possunt, quam laici.

Quarto quaeritur, An patronus possit ius patronatus vendere, vel cum re aliqua temporalis permutare? Respondeo, per se separatim à re, in qua est ius patronatus constitutum, vendi non posse absque simoniae vitio, quia est quid spirituali annexum. Deinde Simoniacum esset patronus, si rem pluri venderet ratione iuris patronatus, quod est in re, si cut enim simoniaca esset venditio sacris cultibus, si pluri vea deretur, quia sacer est, ita simoniacum esset, domum, vel fundum, villam, vel castrum iure patronatus affectum pluri vendere, hoc est, vniuersitatem rerum continens, vendatur quatenus res quædam est, tunc ad emptorem transit vna cum domo, vel fundo temporalium rerum vniuersitatem continenti ius patronatus, *cap. Ius patronatus. cap. Nemini 10. quaestio. 7. c. cap. Ex litteris, c. c. cum seculum, de iure patrona. nisi specialiter excipiatur, vt habetur in cap. Ex litteris.* Sic enim transit cum vniuersitate bonorum ius sepulchri, *l. in medicis, ff. De contrahen. emptione, c. l. Si mercedem, §. Si cum fundum, ff. de act. empti, c. vendi.* Immo transeunt omnia iura, quæ à laicis possideri queunt iura verò, quæ sunt simpliciter spiritualia, quales sunt Ecclesiæ, & Decimæ, primitiæ, & alia similes oblationes, cum vniuersitate bonorum non transferuntur in laicos: vt docet Innocentius in c. Ex litteris citato, quia ea iura in laicos minime cadunt. Hinc est, teste Hostiensis, vt in Ecclesiâ, vel religiosam domum huiusmodi iura spiritualia cum vniuersitate bonorum etiam transmittantur. Ex his percipitur, eum simoniacum esse, qui transfert in alium ius patronatus accepta pecunia, *c. De iure, de iure patronatus.*

Quid dicendum, quando duo patroni litigant, de iure præsentandi, & vnus eorum offert clericum iuris peritum ea conditione, vt in ea lite ius, & causam eius defendat.

non quidem propriis, sed impensis ipsius Patroni, qui cum presentavit? Respondeo, esse Simoniacum, qui eiusmodi pacto clericum presentavit, eo quod ex presentatione temporale commodum recipit. Nam patrocinium ferre alicui in lite, & causam eius tueri, & agere, est quid pecunia estimabile, cum ad id faciendum possit quis stipendio conducere, & obligatio ad patrocinium ferendum est pecunia estimabilis.

De Simonia, qua committitur in ingressu, siue Admissione in Religionem.

CAPVT XVI.

EX cap. Veniens, & cap. de Regularibus & cap. Dilectus 2. cap. Non satis, cap. Quoniam, & cap. Mandatum, de Simonia, constat, Simoniacos esse Monachos, & quosuis Religiosos recipientes aliquem ad Religionis habitum, pecunia ab eo accepta.

Primo quaeritur, An sit Simoniacas ingressus in Religionem, cum quis videlicet admittitur in Religiosorum numerum, recepta pecunia ad victum eius? Certe iuris est, pecuniam dari, vel accipi non posse, ut quis ad religionis habitum admittatur.

Quod quaeritur in presenti loco, est, An aliquid dari, & accipi queat, ut quis in Monasterium admittatur sustentetur? Nam cum Monacho, in Religionem admisso duplex ius conueniat, vnum spirituale, quod sufragium habet in Monachorum collegio, & vocem, ut dicitur in capitulo, & quo gaudet multis privilegiis, & bonis, quae sunt Monachorum propria: alterum vero corporale, quo et Monasterium debet victum, & vestitum: quae duo iura quamuis in quolibet monacho sint re ipsa coniuncta, possunt tamen ratione, & consideratione diuidi.

Quare praesens quaestio est, An possit aliquid dari ab eo, qui in Religionem ingreditur, non quidem, ob primum illud ius, quod acquirit, quod est spirituale, sed ob alterum quod est corporale ius? Et an Monachi admittentes aliquem ad Monasterium, licet recipiant id, quod eiusmodi ratione datur? Dicendum est, nullam in hoc simoniam committi. S. Thomas 2. 2. quaestio 100. art. 3. ad 4. ad hanc quaestionem ita respondet: Pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium: licet tamen si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personae, quae in monasterium fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes, & in 4. Distin. 25. quaestio 3. art. 3. quaestio in cula 2. ad 7. tunc, inquit, potest exigere ab eo, qui in monasterio vult Deo seruire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat monasterium, vnde possit illi providere.

Si autem sine grauiamine Ecclesiae potest recipi, Simoniacum est aliquid pro receptione exigere. Sic S. Thomas, vnde, teste Siluestro in verbo Simonia, quaestio 15. vers. 1. secundum Vincentium, Ruera, & Hostiensium, adde etiam Glossam in c. Non satis in verbo Requiritur, & in cap. Quoniam, verbo paupertatis de simonia, hi, quorum est Monachum recipere, possunt haec verba dicere ei, qui petit ingressum in monasterium: Nos libenter, & gratis recipimus te ad consortium spirituale. Sed cum bona nostra non sufficiant nobis, & tibi, asser tecum, vnde possis viuere.

Quaerit, An Monachi admittentes aliquem ad Monasterium, quod redditus, siue bona non habet, quae sufficiant ad Monachos sustentandos, pacifice queant cum eo, qui petit, ingressum, ut aliquid dari monasterio, vnde commodè sustentetur? Rosella in verbo Simonia num. 1. & alii quidem censent, huiusmodi pactionem Simoniacam esse. At Siluester loco supra citato cum Angelo, & cum Auctore

summae Pisanae sentit oppositum, & merito, quia reuera id, quod datur, & accipitur in cibum, & victum Monachi, non datur, aut accipitur ob ius spirituale, quod Monachus acquirit, sed ob temporale ius, quod recipit: quemadmodum quod sacerdotibus, vel clericis datur tanquam alimentum, non est simoniacum pretium, vel lucrum, quia non datur ob spiritualia, quae seminant, siue ministrant, sed tanquam subsidium vitae debitum.

Obiicit id, quod habetur in cap. Quoniam de Simonia, vbi Innocentius Tertius in Consilio Lateranensi Generali ait: (Quoniam simoniaca labes adeo plerisque moralibus infecta, ut vix aliquas recipiant in sortores paupertatis praetextu, volentes huiusmodi vitium palliare: ne id, de cetero fiat, penitus prohibemus.) Respondeo cum Siluestro de Simonia, quaestio 15. vers. 2. prope finem, ibi Pontificem id prohibere, quia moniales eiusmodi recipiebant in sortores in fraudem iuris, recipiendo eas videlicet in sortores, pecunia recepta, quia in monasterium mittebantur, ac ita ex pacto pecuniam soluebant receptae, quod in sortores adiuuarentur, non autem quod eam pecuniam conferrent tanquam alimentum, quo sustentarentur: idque illae moniales faciebant nomine praetextuque paupertatis, simoniam obtinentes.

Obiicit itidem id, quod dicitur in cap. Non satis, de Simonia: (Prohibemus igitur, ne ab his, qui ad religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur:) quibus verbis Panormitanus, & alii cum Glossa dicunt, non prohiberi moniales aliquid recipere sponte datum, sed ex pacto. Respondeo, solum id prohiberi, ne aliquis admittatur in Religionem, recepta pecunia ab eo, tanquam pretio ingressus in religionem, quamuis Panormitanus, alique cum Glossa generaliter dicant, non posse pecuniam recipi ex pacto. Ineligendum tamen est, non posse recipi tanquam pretium religionis: secus enim est, si detur, & accipitur pecunia etiam ex pacto, ut alimentum, quo Monachus sustentetur: hoc enim ius naturae concedit, & canones, & Pontificum decreta non prohibent, nisi quando pecunia recipitur in fraudem legis.

Secundo quaeritur, An quando monasterium ex redditibus suis potest moniales in certo numero sustentare, & non plures, possit absque simoniae vitio exigere ab his, qui vitra numerum in monasterium admitti volunt, ut dent id, vnde sustentari queant? Respondeo cum Casetano secunda secundae quaestio 100. art. 3. & cum Siluestro in eo loco, quem supra retulimus, & Nauarram Apologia de rebus Ecclesiae quaestio 1. monit. 82. & in tract. de redditibus Ecclesiae quaestio 1. monit. 60. posse, quia reuera in hoc nullum est simoniae peccatum, quia illud nec datur, nec recipitur, ut pretium ingressus in religionem, sed tanquam alimentum, quo sustentatur is, qui in religionem admittitur. Sic etiam Angelus in verbo simonia 4. Tabien. eodem verbo, num. 63. & seqq.

Oppones id, quod habetur in cap. periculofo, §. Sanè, de statu regul. in textu, vbi Pontifex dicit: (Districius inhi-beamus, ne in monasteriis ordinum non mendicantium aliquae recipiantur de cetero in sortores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum prouentibus absque penuria sustentari: Si secus actum fuerit, irritum decernentes. Concilium quoque Trident. sess. 25. cap. 3. de regularibus ait: (In praedictis autem monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conferuetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis elemosinis commodè possit sustentari.) Haec ibi Siluester in verbo Simonia quaestio 15. vers. 2. ad finem ait, in c. periculofo, prohiberi, ne moniales, quae Mendicantes non sunt, plures recipiant in monasterium, quam possint alii ex redditibus, ne propter inopiam cogantur exire, & violare clausuram. Vnde, inquit, intentio legis est, ut habeant, vnde viuunt. Et reuera, si intentio sit pura, laudabile est exigere à volentibus ingredi victum, quando monasterium numerum maiorem non

potest

potest commodè sustentare, quia dilatatur Dei cultus, & seruium eius numerus augetur. Caietanum idem in *secunda secunda quaestione 100. art. 3.* Quomodo, inquit, iuris textus, siue Decretalis prohibens, aliquid dare, vel recipere pro ingressu monasterii, glossatur, quod intelligitur, quando petitur, vel datur tanquam pretium ingressus: quod tunc est, quando ex pacto est à non indigente monasterio aliquando exigere, sed si monasterium indigeat, ut manifestè caueat, quod pro necessitate sustentatione oportet tantum dare, nulla simonia est. Ita iura alia de hoc interpretanda sunt. Unde quando taxatus est numerus monialium, quæ possunt absque penuria sustentari, ita quod si plures recipiantur, monasterium grauare tur: ita, quod si aliis fororibus opportunum aliquid ex hoc decedat, licetè possit statui, quod supra talem numerum nullo recipiatur, nisi quod releuamen grauaminis, quod sequeretur, afferret, puta mille aureos, quoniam hoc non est pro ingressu exigere, sed pro sustentatione. Nec est præcludere viam aliis, quoniam ipsa taxa numeri, quæ secundum iura fit, claudit viam: sed est aperire viam ingressus habentibus temporalibus, quibus onus monasterii subleuare possunt, ac volunt. Hactenus ex Caietano.

Ex horum igitur Auctorum sententia respondeo, nullum secundum conscientiam simoniae vitium esse, si quis in monasterium recipitur ex pacto, ut de id, unde possit in monasterio sustentari, quando monasterium, vel ex suis redditibus annuis, vel ex elemosinis consuetis ultra certum numerum monachorum, quos habet, nequit plures alere. In cap. vero periculoso merito est prohibendum, ne in monialium monasteriis ordinem non mendicantium aliquæ recipiantur in forores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis, siue prouentibus absque penuria sustentari. Hinc verò non colligitur, non posse aliquas recipi, ut secum afferant, quo possint sustentari: tunc enim nec simonia est, ut dixi, nec extera moniales detrimentum patiuntur, quia nihil illis subtrahitur, nec monasterii sepe exitu coguntur ad victum quaerendum: quare solum contra Pontificis decretum facient moniales, si plures recipiant, videlicet nihil ad suorum ipsorum victum danes, quia tunc necesse erit, vel ut aliquid illis subtrahatur ex necessitate, & debito victu, & ita cum penuria viuunt, vel egredi cogantur ad victum comparandum.

Quid, si moniales ultra certum numerum alias recipiant in monasterium sine victu necessitate? Respondeo, in eo cap. dici (si secus actum fuerit, irritum decernentes). Unde Siluester, in *verbo Religio, 7. quaestione 16. text. dicit*: In monasteriis monialium non mendicantium recipi non debent, nisi quot possunt de prouentibus monasterii absque pecunia sustentari, aliter receptio est nulla. Et sic si aliquis ingressus, id est, professus, nubar, tenebit matrimonium, quia professio est nulla. Et Glossa in eo cap. in *verbo, Absque penuria*, annotauit, non dici, commodè sustentari, sed dixit, Absque penuria, quia quamuis quis sine certum aureis commodè sustentari nequeat, fieri tamen potest, ut absque penuria sustentetur. Quare, inquit, si considerato antiquo statu monasterii, vel alius monasterii ciuitatis, non possunt commodè sustentari plures, possunt tamen absque penuria, tenebit receptio. Hactenus ibi.

Ex his constat, Panormitanum, & alios iuris Canonici consultos, fuisse aliter locutos in hac re. Panormitanus eum in cap. Non satis, de simonia, num. 16. sic ait: Nota ex Glossa duas bonas theoreticas, & practicas consueendi instrumentum, quando aliqua puella recipitur in monasterium, ut non detur aliquid ex pacto, sed purè pro deuotione sua, ipsa puella, vel eius pater offerat. Secunda practica est, ut si hoc contingat ex defectu facultatis reddituum monasterii, per vim ciuilitatis protestationis, siue imitationis, dicatur volenti intrare, ut secum aliquid supportet, unde possit viuere. Non autem debet in pactum. Et ita intelligo Innocentium in cap. Tunc, de simonia, qui videtur sentire extra istam Glossam, de quo etiam per Io-

annem Andream, in cap. Quotiam de simonia. Sic Panormitanus.

Sed reuera ipse Panormitanus, & alii Canonici iuris interpretes, ut aiunt Theologi Siluester, Angelus, & Tabienfis, loquuntur de eo, quod secundum iura & Decreta iudicandum est, non autè de eo, quod secundum conscientiam permittitur. Nam in iudicio multa iudicantur, tanquam contra leges, aut Canones facta, quia videntur esse facta in fraudem legis, quæ secundum conscientiam permittuntur.

Tertio queritur, An quando monasterium vberes, & amplos redditus habet, ita ut absque penuria possit plures recipere moniales, simoniae peccatum si aliquid exigere, quo sustententur illæ, quæ petunt ingressum in monasterium? Rosella, in *verbo Simonia s. num. 1. dicit*, in hoc Simoniam committi: & Sanctus Thomas, *secunda solutio quaestione 100. art. 3. ad quartum*, solum dixit, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis ingressu monasterii exhibitio, licet accipere aliquid pro vita personæ, quæ in monasterium fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiat in onestè opes. Sed ex his, quæ dixi secundum Angelum, Siluestrum, Caietanum, Tabiensem, & Nauannum, constat in foro quidem exteriore moniales, sic recipientes iudicari Simoniacas, quia cum opulentum sit monasterium, videntur id exigere, non tanquam alimentum, sed tanquam pretium ingressus, ac verò secundum conscientiam nullum est simoniae peccatum, si ibi quod datur, & accipitur, est alimentum receptæ monialis, non pretium ingressus.

Quarto queritur, Quid sit dicendum, quando quis monachus ferit, aut famulatur ea conditione, ut post certum tempus in monasterium admittatur? Rosella dicit, receptionem esse Simoniacam. Sic etiam Siluester, *verbo Simonia, quaestione 15. vers. Et ratio est*, quia huiusmodi monachus admittitur in monasterium ob famulatum, siue obsequium, quod præstat monasterio. S. Thomas, *secunda secunda quaestione 100. art. 3. ad quartum*, sic ait: Licetum est propter deuotionem, quam aliquis ad monasterium ostendit, largas elemosinas faciendo, facilius in monasterium recipere. Sicut etiam licitum est aliquem e conuerso prouocare ad deuotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterium ingressum, licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu Monasterii: ut habetur in cap. Quam pro 1. quaestione 2. Sic ille.

Ex quo intelligitur, simoniam non committi, cum quis monasterio inseruit gratis, tum ut eius virtus exploretur, & proberetur: tum, ut facilius, & citius in monasterium admittatur: tunc enim non præstat obsequium, vel famulatum, ut in monachum recipiatur, sed ut facilius, & citius admittatur.

Quid, si Monasterium soluat debita, quæ quis contraxit, ut in Monasterium ingrederetur? Respondeo, Simoniacum non esse, si debita soluat gratis, secus verò, si ex pacto id fecerit. Idem iuris est, si Monasterium sese obligauerit ad parentes illius alendos, hæc enim sunt ad alliciendos homines in Monasterium. Et in his solum impedimenta remouentur, ne quis hoc, aut illo modo impeditus, abalienetur à Religione.

Quid idem, si Titius omnia bona sua offerat Monasterio, ut in Monachum recipiatur? Respondeo, simoniacum non esse, si gratis offerat, vel si decet tanquam alimentum, unde sustentetur. Secus verò, si tanquam pretium ingressus, vel si ex pacto dederit.

Quæres, ut sint Monachi Simoniaci, promittendo, V. g. Titio, se eum recepturos in Monasterium post biennium, vel triennium, si interim certam aliquam artem didicerit, vel literis operam dederit, vel sacerdos fuerit factus? Respondeo, cum Titio in *verbo Simonia, quasi 15. vers. 6.* non esse Simoniacos, quia perinde est, ac si promitterent se eum admissuros, si se idoneum, & aptum reddiderit.

Quæres in eodem, Quæ si Monachi eum recipiendo ex primas quoquo modo conditionem, & pactum de aliqua re danda, vel accipienda, is verò, qui petit ingressum, taceat veritas repullam? Respondeo, receptionem hanc simoniæ vitio non carere, quia tacens pro consentiente habetur. *cap. Qui tacet, de Regul. iuris in sexto.*

Et quid si aliquis in sodalitatem aliquam admittatur, & ex statuto promittat, aut iuret se certum quid solutorum quotannis? Respondeo cum Siluestro, in verb. *Simonia, quest. 15. vers. 7.* Simoniam non esse, quando cumque talis sodalitas Religio approbata non est, sed congregatio ad pietatis opera facienda. Et quia id quod soluitur, vel in pauperes erogatur, vel in ratione impensatur, quas faciunt sodales, datur & accipitur. Addit Silvester *ibidem* secundum Raynerum, in eiusmodi sodalitatibus consultis fore sodalium conscientias, si a iuramento abstineant, ad petrii periculum evitandum.

Quandò quaeritur, An simonia committatur, cum datur aliquid, vel recipitur, ut quis ad militarem ordinem admittatur? Ratio dubitandi est, quia sunt, qui putent, Militares Ordines non esse verè, & propriè religiones. Respondeo, Simoniam committi, quia Militares ordines (quidquid aliqui sentiant) in quibus sunt tria vota solennia, Obedientiæ, Castitatis simpliciter, & Paupertatis, sunt verè Religiones: nam in his tribus votis, Religionis substantia consistit.

Quid si in militari ordine fiat votum Castitatis tantum modo coniugalis? nam S. Thomas negat in 2. 2. *quest. 186. ar. 4. ad tertium*, esse simpliciter Religiones eos Ordines, in quibus promittitur castitas non simpliciter, sed coniugalis. Respondeo, nihilominus Simoniam admitti, quia est eiusmodi Ordines non sunt purè, & simpliciter Religiones, sunt tamen aliqua ex parte Religiones, & tales à Romanis Pontificibus appellantur in Diplomatis, quibus illi eos ordines approbaverunt. Sanctus quoque Thomas *loco citato* dicit esse Religiones aliquo modo, quia habent quedam Religionum propria.

Sed quid dicendum, quando datur aliquid Titio, ut suis precibus impetret Cæso habitum militaris Ordinis ab eo, qui confert potest? Respondeo, sine vitio Simoniæ id non fieri, quando militaris ordo est verè, & propriè, vel aliqua ex parte Religio: tunc enim per precibus Titii via ad ingressum in Religionem paratur, & aperitur Cæso, & sicut Cæsus pecuniam dare non potest, ut in Religionem admittatur, sic etiam non potest dare, ut sibi viam parat ad ingressum in Religionem, emere enim videretur à Titio aditum ad Religionem. Si verò militaris ordo nullo modo fuerit Religio, cuiusmodi sunt aliqui ordines sola auctoritate Regum, non Romanorum Pontificum instituti, tunc Simoniæ Titus non est suas preces pretio vendendo.

De Simonia, qua committitur in aliis rebus, quæ sunt spiritualibus annexa.

CAPVT XVII.

MULTA sunt spiritualibus annexa, ut puta vestes, vasa, altaria, sacra, & cætera, quæ auctoritate Ecclesiæ solenni quodam ritu, & precibus conferuntur ad sacros usus cultumque diuinum. Iam si huiusmodi res quatenus sunt corporales, ratione materiæ venduntur, simoniaca venditio non est, secus verò, cum ratione consecrationis venduntur, tunc enim venduntur quatenus spiritualibus, non corporales.

Quando venduntur ratione materiæ, solum tanti æstimantur, quanti eorum materia, & impendunt, quæ factæ sunt in huiusmodi rebus consecrandis æstimantur, quod si prius vendantur, tunc venditæ censentur tanquam spiri-

tuales. *Angelus in verbo Simonia 2. num. 23. Ricar. Quodlib. 2. quest. 21. Siluest. in verb. Simonia, quest. 10. Nauar. in Manuali. cap. 23. num. 108.*

Quærat aliquis, An huiusmodi res cum integræ sunt, vendi, aut locari queant? Respondeo, ad sacros usus posse, v.g. Calix consecratus potest Ecclesiæ vendi, & locari, ad profanos usus vendi, aut locari nequit, nisi prius consecratus, vel dissolutus sit, ita vt consecrationis totam amiserit. Silvester loco citato. Quare possunt eiusmodi res sacre laicis integræ vendi, vel locari, dummodo consecrati, vel vendantur ad sacros usus. Insuper non est iure prohibitum, eas res laicis loco pignoris obligare. *Salu. eo, quem supra attulimus loco.*

Sed numquid prædictæ res possunt cum aliis rebus consecratis permutari? Respondeo Sorus, *libro 9. de Iustitia, questione 5. arti. 2. ad finem*, posse, quia ratione tantum materiæ permutantur.

Præterea possunt vendi ad redimendos captiuos, ad pauperes sustentandos, cum aliunde, aut redimendo captiuo, aut sustentando pauperes nequeunt. *cap. Aurum 12. q. 2. ex Ambrosio lib. 1. de officiis cap. 28.*

Ex his intelligitur, quid sit dicendum de candelis, oliuis, pane, sale, & huiusmodi rebus, quæ solent in Ecclesiâ consecrari: nam vt res corporales sunt, vendi queunt, non vt sacre sunt.

Secundò quaeritur, quid iudicandum sit de sepultura? Respondeo, eam posse vendi, & locari ratione terræ, in qua est sepultura ius, non tamen quatenus sepultura ius quoddam est spirituale, vt constat ex *cap. Cum in Ecclesia. Et cap. Ad nostram. Et cap. Ad Apostolicam, de Simonia.*

Tertiò quaeritur, An Simoniæ sit illi, qui pecuniam alteri dat, ut pro ipso Deum oret? Respondeo S. Thomas in 2. 2. *quest. 100. art. 3. ad 2.* Illi, inquit, qui dant Eleemosynas pauperibus, vt ab ipsis orationum suffragia impetrent, non eo tenore dant, quasi intendant orationes emere, sed per gratiam beneficentiam pauperum animos prouocant ad hoc, quod pro eis gratias, & ex charitate orent. Sic ille. Oratio reuera, quid spirituale est, tum ratione principii: quia ex pietate, & charitate proficitur, & aliquando ex munere, & officio, quo quis vt Clericus fungitur, tum ratione finis, quia referatur ad impetrandum aliqui à Deo, & san. faciendum pro peccatis, quare nihil datur, vel accipi potest, tanquam pretium orationis, sicut id enim Simoniacum: ac verò orantibus potest aliquid dari primo gratis absq. vilo pacto, vt alliciantur ad orandum gratis quoque, & ex charitate pro his, qui ipsis eleemosynas dederunt.

Secundò, potest aliquid dari tanquam alimentum, vt is qui orat, sustentetur.

Tertiò, tanquam stipendium laboris, non quidem eius qui est intrinsecè, & per se cum oratione coniunctus, sed eius, qui tantum ex accidenti in orationem cadit, vt si Vigiletur pecunia orantibus in certo loco, & tempore, puta noctu, pro aliquo defuncto, & hoc modo possunt Clerici conducere ad vigilas, & orationes nocturnas, matutinas, & vespertinas pro certis defunctis.

Quandò quaeritur, quid dicendum sit de concionatoribus, verbum diuinum annunciantibus, num videbunt ratione concionum, quas habent ad populum, aliquid recipere queant? Respondeo S. Thomas, *Quodlib. 2. quest. 6. art. 12. Et 2. 2. quest. 100. art. 3. ad 2. his verbis*: Prædicantibus etiam temporalia debentur ad sustentationem prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum. Vnde super illud 1. *Timoth. 3. Qui bene præfunt Presbyteri* dicit Glossa. Necessitatis est accipere vnde viuunt: charitatis est præbere. Non tamen venale est Euangelium, vt pro his prædicetur. Si enim sic venditur, magnam rem vili pretio vendunt. Hæc ille.

Reuera diuini verbi annuntiatio est quid spirituale, quia ex charitate, & pietate fit, & ex munere, & officio non conceditur, nisi Sacerdoti, siue Diacono, ad accedendos animos audientium, vt Dei gratiam consequantur.

Quærat quispiam, cur docere Theologiam quis possit

precio

pretio, & non habere concionem ad populum? Respondeo disparatem esse rationem: quia Theologie doctor ex disciplina, & doctrina, quam studio, & labore comparavit, docet auditores, & recipit sui laboris mercedem. Insuper docendo, doctos facit auditores, & mentem illuminat, non affectum excitat, & accendit ad diuinam gratiam consequendam. At conciones, quæ habentur ad populum ex pietate, & charitate esse debent ad promouendos auditorum affectus, ad excitandam, tuendam, & conseruandam populi religionem, & charitatem. Quod datur itaque concionatoribus, id vel gratis datur, tanquam elemosyna ad eos alliciendos, vt gratis verbum diuinum annuntientis, qui sunt de ipsis beate meriti, vel tanquam stipendium laboris, quem suscipiunt in itinere faciendo, vel tanquam id, quo impensas, quas faciunt, compensent, vel onus, quo se obligant ad concionandum certis temporibus.

Quintò quæritur, An aliquid dari, vel recipi queat, vt quis diuinas laudes decantet? Respondeo cum S. Thoma in 2. 2. quæstion. 100. art. 3. ad primum: Munera, quæ bonis propheta exhibebantur, non dabantur tanquam pretium prophetici ministerii, vel vaticinii, sed tanquam gratuita elemosynæ, vel tanquam vitæ subsidia, quibus sustentabantur: ut pseudopropheta ex exigebat tanquam lucrum & quæstum.

In responsione ad 2. ait idem Sanctus Doctor: similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Ecclesiastici officii, siue pro viuis, siue pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. Ita S. Thomas.

Sextò quæritur, An absque Simonia possit aliquid dari, & accipi ratione correctionis, aut visitationis, quam facit quis ex officio, quo fungitur? Respondeo cum eodem S. Thom. quæst. citata ad 3. Correctio, & visitatio sunt actus spirituales ratione principii, nam ex spirituali munere, & officio conueniunt superiori. Vnde Simoniacus est, qui corrigi, aut visitari, pecuniam accipiens tanquam pretium correctionis, vel visitationis, vel recipiens ex pacto: non tamen si recipiat gratis oblatum, vel tanquam debitum constitutione Ecclesiæ.

Item Simoniacus est, qui pecuniam accipit, vt peccatû, quod denuntiare, aut punire debet, calet, aut non punit.

Idem dicendum est secundum S. Thomam eodem loco de processionalibus, quæ fieri solent in funebribus, dari enim solent aliqua munera tanquam gratuita elemosynæ, vel ad victum, & cibum Clericorum.

Idem quoque dicendum de quibuslibet actibus, qui competunt alicui ex spirituali potestate, quam habet, vel officio, quo fungitur. In his enim, inquit S. Thomas, ille, cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad vsum potestatis sibi commissæ in spiritualem dispensationem, & etiam pro sua sustentatione statuta stipendia habet ex redditibus Ecclesiæ. Et ideo, si aliquid acciperet pro vusu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito suscepti officii debet impendere, sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ vsum. Et propter hoc non licet pro quacumque dispensatione aliquid accipere. Ita S. Thomas egregie.

Quædam quæstiones super eadem re diluuntur.

CAPVT XVIII.

PRIMO quæritur, An simoniacus sit Canonicus templum adiens, vt distributiones quotidianas lucretur, alias non iurans, nisi illas lucretur? S. Thomas Quodlib. 8. quæst. 6. art. 11. respondet sic: (Celebrare Diuinum officium in Ecclesiâ, est actus spiritualis ex parte principii, quia competit alicui ex hoc, quod est Clericus, &

ideo simoniam committit, qui huiusmodi actum vendere intendit. In qualibet enim vocatione pretium accipitur quasi finis. Et in prædicto casu distinguendum est. Si enim huiusmodi distributiones accipit, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem, Deum in tali actu, ad huiusmodi autem distributiones secundario respicit, non quasi ad finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spirituales, & ita simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed propiè huius determinationis, quare nunc vadat, & non alia vice.) Hæc ille. Dicendum est itaque non esse simoniacam eiusmodi Canonicum ad templum se conferentem, vt distributiones lucretur, tanquam stipendium sui laboris, & operæ, non necessario, sed ex accidenti coniunctæ cum actu spirituali: vel tanquam alimentum ad vitam sustentandam, vel tanquam id, quod est consuetum dari iis, qui in templo, & choro præsentibus adsunt. Si verò distributiones acciperet tanquam operis spiritualis, quod facit, vel tanquam sibi debitas ex pacto iusto, vel tanquam finem, ob quem ad templum pergit, aliter eo minime peccaturus, simoniacus esset, quia temporale reciperet ob spirituale opus, quod præstat.

Secundò quæritur, Quo modo simonia committatur, cum aliquid spirituale conferretur propter munus ab obsequio? S. Thomas, 2. 2. quæstion. 100. art. 5. ad primum. sic ait: (Si aliquis Clericus alicui Prelato impendat obsequium honestum ad spirituale ordinatum, puta ad Ecclesiæ vtilitatem, vel ministerium eius, ex ipsa diuotione obsequii redditus dignus Ecclesiastico beneficio, sicut & propter alia bona opera. Vnde non intelligitur esse munus ab obsequio. Et hoc est, quod dicit Gregorius, libro secundo Epistolæ quinquagesimæ septimæ, Ecclesiasticis vtilitatibus deseruientes, Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere. Si verò sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum, puta, quia seruuit Prelato ad vilitatem consanguineorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid huiusmodi, erit munus ab obsequio, & est simoniacum.) Hæc Sanctus Thomas.

Generatim dicendum est, munus ab obsequio simoniam inducere, quando quis obsequium præstat Prelato, vt recipiat ab eo beneficium Ecclesiasticum, tanquam emptum eiusmodi obsequio. Item quando ex pacto famulatur, & inseruit, vt loco stipendii Beneficium accipiat Ecclesiasticum. Quo modo verò gratis, vel stipendio conductus inseruit, & deinde beneficium Ecclesiasticum confertur ei gratis Episcopus, tunc simoniacus non est. Quid si Episcopus cum Titio conueniat, si mihi salernitas, certum stipendium tibi dabo, donec Beneficium Ecclesiasticum tibi conuulero? Ad hoc superius est responsum.

Tertiò quæritur, Quomodo propter munus à lingua, simonia contrahatur? S. Thomas, 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad tertium ait: Munus à lingua dicitur, vel ipsa laus pertinet ad fauorem humanum, qui sub precium cadit, vel etiam preces: ex quibus acquiritur fauor hominis, & contrarium cuitatur. Et ideo, si aliquis principaliter intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno postrectas exaudit, vnde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno portigantur, ipsum factum non est simoniacum, quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces portiguntur, spirituale aliquid conferretur. Tamen potest esse simonia intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad fauorem humanum. Si verò aliquis pro se roget, vt obtineat eum tam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno. Licet tamen potest aliquis, si sit dignus, pro se beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum.) Ita S. Thomas.

Munus itaque à lingua, secundum S. Thomam est du-

plex

plex: vnum, quod consistit in actu laudandi, vel adulandi, ut cum Titius laudat Caium, vel adulator ei, ut aliquid spirituale consequatur. Tale obsequium est pretio aestimabile, eoque fauor humanus acquiritur: vnde manifestam simoniam continet. Alterum quod consistit in precibus: quia cum preces alterius exaudit, ab eo fauorem humanum acquirere solet. Nam precibus frequenter annuimus, vel ob beneuolentiam speratam eius, cuius preces exaudimus: vel quia magnificimus, quod à certo viro rogemur, vel quia veremur iram, odium, aut tristitiam eius, qui nos precatur, si postulata negemus. Quare si Titius ob Caii preces aliquid dat, ut ab eo fauorem quendam humanum consequatur, quo vel malum deiciat, vel bonum obtineat, eiusmodi Caii preces pretio sunt aestimabiles.

Hinc orta est controuersia, An sit simoniacus Episcopus, confereas beneficium alicui, vel propter preces alterius, alioqui id minimè collaturus. An sit itidem simoniacus, qui propter preces beneficium Ecclesiasticum impetrat, & obtinet. De qua questione Innocentius Hostien. Ioan. Andreas, Panormitanus, & alii, in cap. Tuam, de sta. & qual. ordinan. Adrianus, Quodlib. questio. 9. art. 2. Dicendum est, si quis beneficium conferat propter preces, ut scilicet fauorem humanum capiat ab eo, qui preces offert, eum simoniacum esse, quia confert beneficium, ut fauorem humanum consequatur, qui est pretio aestimabilis. Simonia quoque committitur ex parte eius, qui precatur quando preces offert, volens se obligare ei, qui beneficium propter preces offert, aut habens in animo eam liberare, & soluere ab aliquo obsequio, vel onere, vel obligationis vinculo: nam idem est remittere debitum, quod dare: etiam si remittatur obligatio, quæ tantum est, uti est ea, qua quis obligatur ad antidota. argum. l. 2. & 3. ff. De calumniator. l. Sed & ff. De petit. hered. Nam in primo casu, qui beneficium confert, illud quali vendit, fauorem hominum, quasi precium acquiritens.

In secundo casu, qui precatur, beneficium emit, & suum fauorem humanum tanquam pretium reddit. Qui preces offert, ut beneficium obtineat, cui est cura animarum annexa, si alioqui est indignus, simoniacus est, ut dixit S. Thomas, quia eo ipso, quod est indignus, videtur solis precibus beneficium consequi: ac proinde ob fauorem suum humanum, quem obligat Episcopo beneficium conferenti. Si verò alias sit dignus, ambitiosus, & superbus, sine arrogans esse videtur, secundum S. Thomam, quodlib. 2. questio. 6. art. 11. ubi ex sententia S. Augustini sic ait: (Loquens superior, sine quo populus regi non potest, est ad ministrum, ut decet, tamen indecenter appetitur. Cuius ratio est: quia qui appetit prelationem, aut est superbus, aut est iniustus. Iniustitia enim est, quod aliquis velit sibi plus de honore accipere, aut de potestate, aut de aliis bonis, nisi sit maioribus dignus, ut dicitur libro quinto Ethicorum, capite tertio. Quod autem aliquis existimet se esse magis dignum prelatione omnibus aliis, super quos prelationem accipit, superbia, & presumptionis est. Vnde patet, quod quicumque prelationem appetit, aut est iniustus, aut superbus, & ideo nullus suo appetitu debet ad prelationem peruenire, sed solum Dei iudicio, secundum illud Apostolicum ad Hebraeos 5. Nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Potest tamen aliquis licite appetere se esse dignum prelatione, vel opera boni Prælati, pro quibus debetur honor.) Ita Sanctus Doctor.

Quid si Titius preces porrigat, ut beneficium simplex impetret, & consequatur ab Episcopo? Respondeo secundum S. Thomam, eum simoniacum non esse, nec peccati admittit, dummodo non sit alioqui indignus, & dummodo verè indigeat, hoc est, si pauper Clericus. Quid si diues sit? Reynerus, & Veldericus, teste Siluest. in verbo Simonia, questio. 16. vers. 8. dicunt, eum, si alioqui sit diues, nullum peccatum committere precibus petendo, ut sibi beneficium simplex conferatur.

Probat primò, quia nemo suis stipendiis militare cogitur. 1. Cor. 9. Ergo quamuis clericus diuiti beneficium non debeatur tanquam alimentum, debetur tamen tanquam stipendium laboris, & operæ: quoniam qui seruit altari, ex altari viuit. Et cap. Cum secundum Apostolum de Fra. ben. constitutum est, ut Clerici ex patrimonio Christi viuant, qui seruiunt altari, & Ecclesie.

Secundò, quia qui est ad ordines promotus præferim factos, utilitatem Ecclesiam habere debet, in qua iouetur.

Tertiò exemplo Isaie dicentis Deo, Isa. 6. Ecce ego mitto me.

Quartò, quia passim Clericis patrimonio habentibus beneficia conferuntur.

Postremò, quia alioqui innumeri Clerici simoniæ criminè tenerentur obstricti.

Siluest. loco supra citato sentire videtur, Clericum bonis temporalibus abundantem, sine peccato beneficium Ecclesiasticum etiam simplex petere iure non posse: quamuis sit alioqui dignus: id probat, quia Canones, & iura solum videntur beneficia concedere Clericis egenis. cap. Clericos, & cap. Pastor, & cap. Si quis. 1. quest. 2. & cap. Illa autem 12. quest. 1. & cap. Ut. 16. quest. 1.

Sed hæc questio alteram continet, videlicet, An is, qui paterno patrimonio, vel profanis bonis abundat, possit licite beneficium Ecclesiasticum petere, & suscipere. De hac questione Adrian. in 4. de resit. in questione, qua incipit: Quia supra determinatum est, & Ioan. andreas in cap. Postulasti, de Rescript. Glossa in cap. Clericos, 1. q. 2. & Abbas in cap. Episcopus, de præben. Hanc ego questionem tractaui, cum de beneficiis agerem.

Quod attinet ad prælen negotium, meo iudicio, prima opinio probabilior videtur, quoniam beneficium datur tanquam stipendium laboris, & operæ, qua Clericus inseruit Ecclesie, stipendium autem lege iustitiæ debetur operatio, etiam alioqui diuiti, & habenti vnde commodè tueri, & suscitare se possit: quia ob operam, & laborem debetur.

Annotandum est id, quod dicit Panormitanus in cap. Tua nos, de simonia, num. 2. ubi ait: Humiles preces admittit à digno pro beneficio spirituali consequendo, non inducunt simoniam, nec aliquid aliud peccatum, etiam ambitiosum, quod procedit, etiam si præcellit donatio rei temporalis esse liberalitate facta. Et optimè hoc colligitur ex textu, quod tene meo pro Cardinalibus, & alius Prælati, quibus aliqua munuscula, seu xenia conferunt, rogantes pro aliquo beneficio consequendo. Si enim non ducuntur principaliter, quamquam secundario habeant talem spem, extra omnem noxiam iudicantur: nam vix ista possunt, sine spe secundaria, ut dicit Innocentius, & Hostien. ff. & facit, quod legitur, & notatur in cap. Quod proderit dist. 61. cap. Sicut nonnulli. 1. quest. 1. & cap. Tuam de stat. & qual. ordinan.

Quartò quaeritur, An idem iuris sit de eo, qui preces offert non Titio, cuius est beneficium conferre, sed Caio, ut apud Titium Episcopum preces porrigat? Hoc est? An Seius simoniacus sit precando Caium, ut pro ipso Titium Episcopum precetur? Respondet Siluest. in verbo Simonia, q. 16. ver. 3. ad finem, Seium esse simoniacum: quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur, cap. Qui per alium facit, de rog. iur. in Sexto. Seius itaque est simoniacus precando Caium, ut Titium Episcopum precetur, quia ddeumque Seius suum fauorem, precando obligat ipi Caio: tunc enim vendit suum fauorem, ut Caius à Titio Episcopo beneficium impetret.

Quid dicendum, si Caius pecuniam recipiat à Seio, ut Titium Episcopum precetur? volo dicere, si Seius pecuniâ det Caio ob preces, quibus Caius pro Seio Titium Episcopum precatur? Respondeo, vitumque & Seium, & Caium simoniacum esse: Seius quidem est, quia pretio dato emittit Caio preces, quas est Titio Episcopo oblaturus, & per preces Caii impetrat beneficium à Titio: Caius

verò

verò: quia preces, quas Titius Episcopo offert pro Seio ad beneficium consequendum, pretio vendit. Ex *Siluestro in verbo Simonia, quæst. 16. ver. 3. ad finem, & Soto, lib. 9. de Iustitia, quæst. 7. art. 3. in principio.*

Quid queritur, An sit simoniacus, qui beneficium Ecclesiasticum metu confert alicui? Ratio dubitandi est, quia non videtur gratis conferte, cum per metum id faciat, nimirum veritus, ne suorum bonorum iacturam faciat, aut ne mali aliquid sustinere cogatur. Cantor Parisiensis teste *Adriano, Quodlibeto 9. art. 2. præter triplex munus, videlicet, A manu, lingua, & obsequio, duplex aliud munus adiecit, Munus scilicet sanguinis, cum quis dat Beneficium Ecclesiasticum propter coniugumtatem, & munus timoris, cum quis beneficium confert metu minaturum, aut alicuius alterius mali. Idem videtur sentire Sanctus Bonaventura in 4. distinct. 25. literam explanans, dub. 6.*

Adrianus verò Quodlibeto citato art. 3. ad tertium versu. Secunda propositio est, cenet simoniacum non esse, qui per metum rem spirituales dat: id probat, quia metus non est quasi pretium rei spirituales, sed solum est causa, qua quis inducitur, & mouetur ad aliquid faciendum. Nam sicut spe præmii inuitat quidpiam facimus, sic metu pœnæ adducimur ad hoc, vel illud agendum. Quæ si- cut spes præmii nullam inducit simoniam, ita nec metus mali.

Quid, si Titius beneficium Ecclesiasticum conferat metu mali compulsus, alioqui minimè illud collaturus? Respondet *Adrianus*, etiam tunc Titium non esse simoniacum, quemadmodum si spe præmii beneficium dedisset, non daturus alioqui? Dicit potest in hac re, simoniacum esse non quidem verè, & propriè, sed latè. Nam simoniacus verè, & propriè est, qui spirituale dat pretio recepto. late verò, & impropiè simoniacus est, qui dat rem spirituales citra debitam causam, & talis est, qui metu mali beneficium confert, aliter non daturus: dat enim ob metum, que iusta, & debita causa beneficii conferendi non est.

Quid, si conferat eo pacto, ne mali aliquid sustineat, videlicet onus aliquod, vel ne bonum suum, quod habet, amittat? Respondet, eum verè, & propriè simoniacum esse, quia spirituales rem confert, temporali commodo recepto.

Sextò queritur, An simoniam committat, qui disciplinam, vel artem aliquam naturalem docet pretio recepto?

Dux sunt opiniones, Prima est asserentium, simoniam admittere Doctorem, vel Magistrum, ad quem ex munere, & officio pertinet docere, si disciplinam, vel artem docet pretio, & mercede: nisi eam accipiat, vel tanquam vitæ alimentum, vel tanquam stipendium laboris, & operæ in docendo susceptæ, vel vt compenset impensas in studio literarum a se factas. Sic videntur sensisse Hostiensis, Ioannes Andreas, Panormitanus, & alii Canonici iuris interpretes, in cap. *Quia nonnullis, de Magistris, & Glossa, in cap. Non licet. 11. quæst. 3. & cap. Non solum quæst. 3. Archidiacon. in cap. De quibusdam. distinct. 37. & inter Theologos Alexander par. 2. quæstion. 107. art. 4. memb. 3. Altihiorens. lib. 3. tractat. 21. cap. quæst. 2. principali, Sanctus Thomas distinct. 25. quæst. 3. art. 3. quæstioncula ad 8. Hanc sententiam videntur sequuti. *Siluester in verbo Simonia, quæst. 9. & in verbo Doctor, num. 11. Angelus in verbo Magister num. 11. Tabien. in eodem verbo.* Ratio eorum est, quia *Prouerbior. cap. 23. dicitur: (Veritatem eme, & noli vendere sapientiam, & doctrinam.)* Deinde, quia omnis disciplina, & ars est donum Dei, at simoniacum est dona Dei vendere. Adde, quod docere est quid spirituale ratione principii, quando Doctores, vel magister munere, & officio publico docendi fungitur: scus est, cum quis sua sponte, & priuatum disciplinam, vel artem docet.*

Alteræ opinio est negantium vilam committi simoniam in vendentis, vel emendis disciplinis, vel artibus, quia

non sunt spirituales ab spiritu increato, scilicet Spiritu Sancto: non enim specialia eius dona sunt, sed generalia dumtaxat.

Hanc sententiam habet Sanctus Thomas, *secunda secunda, quæst. 100. art. 3. ad tertium.* Ricard. in quarto distinct. 25. art. 3. quæstion. 2. Durand. eadem distinctione. quæstion. 3. Paludanus, *ibidem quæstion. 5.* *Adrianus, Quodlib. 9. art. 7. Sotus libro nono de Iustitia, quæstion. 5. art. 6. Nauatrus in Manuali, cap. 23. numer. 100.* Hæc opinio est vera, quia quamuis disciplinæ, & artes sint dona Dei, cum auxilio eius acquirantur, vsu tamen labore, & studio nostro comparantur, nec sunt specialia dona Dei, cuiusmodi sunt gratiæ gratis datæ, quia generali Dei auxilio parantur, & addiscuntur.

Inter omnes conuenit, disciplinas, & artes non vendi pretio, quasi eiusmodi res sint, quas Doctor transfundat in animos discipulorum, siue audientium. In eo itidem conueniunt omnes, licet Doctori pecuniam accipere tanquam vitæ alimentum, & tanquam stipendium laboris, & operæ in docendo, & tanquam aliquid, quo compensat Doctor impensas in studio literarum factas.

Dissentiunt verò Doctores in eo, quod aliqui eorum asserunt simoniacum esse Doctorem, si ipsum docendi opus siue doctrinam pretio vendat. Alii verò negant, vltim esse simoniam etiam, quia non vendit Doctor ille aliquod donum Spiritus sancti, sed doctrinam, quam suo studio, labore, & industria comparauit. Et hæc sententia est verior.

Quid, si quispiam speciali Dei miraculo, vel dono aliquam disciplinam, vel artem acceperit? Respondet *Adrianus*, etiam ei licet pretium accipere ob ministerium docendi, quia disciplina, & ars est eiusdem speciei, & naturæ, cuius ceteræ disciplinæ, quæ studio nostro acquiruntur. Quemadmodum si Titius, Verbi gratia, per miraculum accepisset à Deo robur, & vires corporis ad portandum pèdus aliquod ingens, posset absque vilo peccato operam suam locare ad onera deferenda. Eodem modo, si quis diuinitus accepisset artem pingendi, vel aliquid faciendi, tuta conscientia posset pretium exigere pro pictura sua, vel aliquo alio opere, quod fecisset.

Colligit *Adrianus* ex his, licet Aduocato suum patrocinium alicui offerre pretio accepto, & Iurisconsulto pecuniam accipere, ob consilium datum, & testi, ob testimonium, quod dicit. At Sanctus Augustinus, *vt habetur in cap. Non licet. 11. quæstion. 3. & cap. Non solum. 14. quæstion. 5.* dicit, turpè lucrum esse pecuniam accipere pro vero testimonio reddendo, aut pro iusta sententia ferenda. Dixit quidem Augustinus turpè lucrum esse, quia id aliquando gratis facere debemus, at non dixit, Simoniacum esse.

Quid, si aliquis pro testimonio reddendo, pro patrocinio, aut sententia ferenda in causa spirituali, vti pro matrimonio, beneficii, hæretis, decimarum, pecuniam, accipiat, quando id gratis facere non cogitur? Respondet *Adrianus in Quodlibeto 9. art. 1.* Simoniacum non esse, quia non recipit temporale, nisi ob testimonium, quod reddit, vel ob patrocinium, aut sententiam, quam fert. At Panormitanus, in cap. *Tua nos, de Simonia*, dicit simoniam committere, qui corrumpit Iudicem, vel testem in causa spirituali. Id ipsum sentit Hostien. eo, quod testimonium, vel sententia connectitur eum re spirituali:

scus verò, si daretur pecunia testi, vel Iudici, vel Aduocato in re omnino temporalis.

†

Quot, & quibus modis liceat aliquid dare, vel accipere ob rem spiritualement datam, vel acceptam.

CAPVT XIX.

P R I M O quæritur, An liceat aliquid dare, vel accipere pro re spirituali ob consuetudinem vsu receptam? Ratio dubitandi est, quia consuetudo contra ius diuinum, vel naturale corruptela censetur, & ideo locum, & vim nullam habet. Item in cap. Cum Ecclesiis, de Simonia, damnatur consuetudo, vt corruptela, qua pro Episcopis, Abbatibus, & quibuslibet aliis Ecclesiasticis personis introducendis, & immittendis in possessionem Ecclesiarum, vel pro Clericis ad ipsentibus possessionem Beneficii, vel pro benedictionibus nuptiarum aliquid temporale recipitur. Et cap. Iacobus, de Simonia, reprehenditur consuetudo, qua quis in Canonicum receptus dare prandium, vel pactum solebat, cap. Non satis, eodem Titulo, prohibetur, ne aliquid exigatur, etiam prætextu consuetudinis, pro sepulturis, vel benedictionibus chrisimatis, sicut olei, & cap. Abolendam, eodem Titulo, reprobat consuetudo, qua certum quid solebatur pro terra sepulchra. Idem colligitur ex cap. Suam nobis, de Simonia, cap. Quæstio est, 21. quæstion. 2. cap. In Ecclesiastico 13. quæstion. 1. Ex altera parte habetur in cap. Ad Apostolicam, cogendos esse laicos ad laudabiles consuetudines in spiritualibus, & annexis spiritualibus obseruandas & graues exactiones esse tollendas. Et idem patet ex cap. Cum in officio, de Prescripto, & cap. Nec numerus 10. quæst. 13. De hac re tractat speciatim Maior, dist. 25. quæst. 4.

Sciendum est, aliud esse de temporali commodo, quod exigitur ob rem spiritualement, antequam ea conferatur, aliud verò de temporali, quod exigitur ob rem spiritualement, ante iam datam & acceptam. In primis Canones, & iura prohibent, ne temporale exigatur ex pacto antequam res spiritualis detur, & accipitur: quia re vera qui sic exigitur, videtur rem spiritualement vendere, & solet alios offendere.

Caietanus verò in Summa in verbo Simonia, & Nauarrus in Manuali, cap. 23. num. 106. docent, posse aliquando peti temporale ante spirituale datum, vel acceptum, videlicet ad contentiones, & lites, siue molestie occasiones impediendas, quæ alioqui probabiliter futuræ præuidentur.

Deinde Canones, & iura non prohibent exigere post spirituale datum, & acceptum id, quod dari, & accipi consuetum est pro spirituali: & hoc maxime locum habet, quando id exigitur impetrato superioris officio: verumque patet, quia tunc exigitur id, quod consuetudo vsu recepta habet, nec in hoc vlla est Simonie species, nec vlla offensionis occasio: exigitur enim, quod ex consuetudine debetur.

Quare supra citati Canones, vel Decreta secum minime pugnant: quia cum reprobandæ consuetudines, locum habent in his consuetudinibus, quibus exigitur aliquid ex pacto pro spirituali nondum dato, & accepto: aliæ verò Constitutiones, in quibus dicitur compellendos esse laicos, vt laudabiles in his rebus consuetudines seruent, loquuntur de his consuetudinibus, quibus datur temporale, vel exigitur pro spirituali iam ante dato, & accepto. Ita prædicta Decreta Concilii Glossæ, Hostiensis, & Patrimonialis in cap. Ad Apostolicam, & cap. Suam nobis, de Simonia, Archidiaconus in cap. Iudices, & cap. Azarho, dist. 63. cap. Ordinationes. 1. quæst. 1. & S. Thomas in 2. 2. quæst. 100. art. 3. & Maior loco supra citato. Præterea, quando Canones, vel iura explicite damnant consuetudinem in certis rebus spiritualibus, illa seruanda non est: licet ve-

ro, quando consuetudinem receptam in aliquibus rebus spiritualibus, non improbant.

Dices, Quomodo consuetudo valere potest, vt temporale pro spirituali detur, vel accipitur, cum Simonia sit iure naturali, & diuino prohibita, contra quæ iura, & decreta consuetudo non valet? Respondeo, eam consuetudinem esse corruptelam, qua aliquid datur, vel accipitur tanquam pretium rei spiritualis, non tamen eam consuetudinem, qua temporale aliquid datur, & accipitur, vel tanquam alimentum vitæ, vel tanquam stipendium laboris, & operæ, vel tanquam gratis oblatum. Quando igitur dato, & accepto spirituali consuevit temporale dari, & accipi eam consuetudinem non damnamus, quia probabiliter censemus vnum huiusmodi esse bene introductum: credimus enim temporale cepisse dari, & accipi tanquam subsidium vitæ, vel tanquam stipendium laboris, vel tanquam gratis oblatum. Nec est, quod credamus cepisse introduci, tanquam si daretur, vt pretium rei spiritualis, nisi aliunde constitit dari, vt pretium, vel nisi Canones, & iura specialiter cauerint, ne vilo modo aliquid exigatur, vel percipiat, vel ne talis consuetudo in posterum seruetur. Quoniam quamuis consuetudo alioqui per se mala non sit, potest nihilominus aboleri, vt omnis mali species, & occasio tollatur, & semel abrogata potest iterum introduci.

Secundò quæritur, An aliis modis licet possit temporale dari, & accipi pro spirituali? Respondeo, simoniam minime committi, si aliquid detur, vel accipiat, vt elemosyna in victum necessaria.

Secundò, quando datur, & accipitur temporale in penam. Sic enim solet imponi multa pecuniaria, cum quis absoluitur ab excommunicationis, interdicti, vel suspensionis sententia, & vinculo.

Tertiò, quando, aliquid imponitur tanquam id, cum quo aliud permutatur, vt cum votum, vel iusiurandum pecunia redimitur, vel cum ieiunium, vel aliquid aliud simile obligationis vinculum cum pecunia permutatur, vel pretio redimitur.

Quartò quando pecunia datur, vel accipitur ad redimendam iniquam vexationem, hoc autem locum habet, quando quis ius habet acquisitum, & ab illius possessione contra iustitiam deicitur.

Verùm quæstio est, An licitum sit alicui, precio redimere vexationem Ecclesiarum, V. g. Hæreticis, vel Paganis, vel Tyrannis sibi certam Ecclesiam, vel beneficium Ecclesiasticum vsurpauit, & penes se retinet. Quæritur, inquam, An liberum sit Titio pecuniam quætere, qua Ecclesiam illam, vel beneficium redimat. An item liceat Episcopo pecuniam dare Titio patrono, vel Electori, vel Collatori, vel Confirmatori: ne præsentationem, electionem, collationem, confirmationem iniquam, & Ecclesiarum noxiam faciat.

De hac quæstione Caietanus in Opuscul. tom. 2. tract. 9. quæst. 3. Sotus, lib. 9. de Iustitia, quæst. 6. art. 1. ad quintum, in quibus locis respondent, fas esse Ecclesiam, vel beneficium redimere: quia sicut Ecclesia ius habet redimendi vexationem suam pecunia data, ita quoque Titius potest iure redimere vexationem Ecclesiarum, dando pecuniam, ne Hæreticus, Schismaticus, aut de Hæresi suspectus præsentetur, institutur, eligatur, vel confirmetur in beneficio, vel ne ei certum beneficium, vel Ecclesia vacans conferatur.

Quintò quæritur, An omnis pactio, siue conuentio in spiritualibus, siue quasi spiritualibus sit iure prohibita: Ratio dubitandi est, quia cap. vlt. de pactis, & cap. Quam pio. 1. quæst. 2. generatim habetur, omnem conditionem siue pactioem in spiritualibus esse damnatam. Respondeo, aliquando iure esse permissam pactioem huiusmodi.

Primò, quando quis tradit rem suam Ecclesiarum, potest in ea re conditionem, quam voluerit, apponere, tunc enim onus imponitur rei tradite, cap. Verum de conditionibus appof. Vnde potest tenæ solum dari eo pacto, vt in eo

facta

facta aedes extruitur: & qui dat, potest certum censum sibi reservare, vel ius patronatus retinere, *cap. Olim, de restit. spoliat.*

Porro sit idem licentiam concedere construendi Ecclesiam, sub certo pacto, *cap. Quando, & cap. Ex insinuatione, de Consibus.*

Secundo, quando certa Ecclesia, vel beneficium vacat, potest Episcopus eam Canonicorum Collegio, antequam beneficium, vel Ecclesia conferatur, illi Ecclesiae, vel beneficio certum onus imponere, videlicet: ut qui illud impetrauerit, debeat semel, vel bis sacrificium offerre, vel in certo altari rem factam facere. *cap. Licet, & cap. Significatum, de praben.*

Tertio quando aliquid exigitur Canonis, vel iuris permisso, tunc conferre spirituale ea conditione, ut fiat id, quod ius promittit, simoniaca conditio non est. Abbas in *cap. Olim, de restit. spol.* Vnde fas est consecranti, vel visitanti Ecclesiam, procuracionem exigere, *cap. Cum sit Romana, de Consibus, cap. Apostolus, de Prescrip. cap. Relatum, 10. quæst. 3.*

Obijcies, Simonia est contra ius diuinum, ergo iure humano permitti non potest, ut res spiritualis pretio detur, vel accipiatur, vel prohiberi nequit, ne gratis detur? Respondeo: Iuris humani auctoritate fieri non posse, ut aliquid detur, vel accipiatur, tanquam pretium rei spiritualis: fieri tamen posse, ut ex pacto, vel conditione aliquid detur, tanquam stipendium laboris, & operæ, vel tanquam vitæ subsidium.

Infitis: Si sic detur, Simonia non est: ergo ius humanum nihil concedit. Respondeo, iure Canonico multa prohiberi, ne ex pacto fiant, quæ aliquo iure diuino permissa sunt: prohibeatur vero eiusmodi iure Canonico, ad fraudes tollendas, ad simoniæ speciem, & occasionem abdicendam.

Deinde verò cum huius generis aliqua Ius Canonico permittit, aufert è medio præsumptionem simoniæ; ac proinde quamuis pactum admittat, id contra ius diuinum non facit, quia solum permittit, ut ex pacto aliquid detur, vel accipiatur, tanquam stipendium, vel alimentum vitæ.

Quinto quaeritur, An simonia cadat in eos, qui dicuntur mediatores in dandis, vel accipiendis spiritualibus pro temporalibus? Respondeo, cadere, etiam si qui ministrat, vel accipit spirituale, nihil temporale recipiat, vel det, aut nihil pacificatur, & etiam si penitus ignoret per intermedias personas datum, vel acceptum esse temporale pro spirituali, vel irritum de eo pactum fuisse. *cap. Statutum, & cap. Si quid, de simoniactis, prim. questione prim.* Vnde Simoniacus est Titius, si pecuniam dederit Caio, ut opera ipsius, Sempronius filius ordinem, vel beneficium Ecclesiasticum impetret ab Episcopo Seio. Simoniacus item est Titius, si accepta à Caio pecunia, suum beneficium resignauerit, pure, & simpliciter apud Seium Episcopum plane inscium; quia per talem resignationem viam Caius sibi aperit, & parat ad beneficium impetrandum, & obtinendum. Insuper simoniacus est Caius, qui cum Titio pacificatur, ut consensum ipsè Titius præstet, si pensio fuerit in beneficio ipsi Titio collato, imposita. Nam ex huiusmodi pacto Caius commodum sibi lucratur, parando sibi viam ad pensionem Ecclesiasticam obtinendam, quæ beneficio nunquam imponitur, sine consensu eius, qui beneficium confert.



De obligatione restituendi quod est per simoniam datum, vel acceptum.

CAPVT XX.

NOTANDUM est, per simoniam, duo dari, & accipi; vnum est res spiritualis, quæ datur, vel accipitur; alterum est pecunia, vel commodum, pecunia, æstimabile.

Primo agendum de pecunia, vel commo temporali, quod propter rem spiritualem datur, & accipitur.

Secundo loco de re spirituali data, vel accepta.

Primo quaeritur, An iure diuino, & naturali, an verò tantum Canonico restitui debeat pecunia, siue aliud lucrum temporale, quod simoniacè datum, & acceptum est?

Tres sunt opiniones: Prima est asserentium iure diuino, & naturali esse restituendum. Ita Adrian. *Quodlib. 9. art. 3. Medina, De restitut. eius, quod acceptum est per usuram, quæst. 4. in 2. argum. vers. lam ad rationes. Maior in 4. distinct. quæst. 7. Sotus, lib. 9. de iustitia, quæst. 8. art. 1. ad 6.* Ratio eorum est, quia iurum huiusmodi datum est, & acceptum contra voluntatem domini in ijs, quæ domini sunt, qualia sunt spiritualia. Nam Christus Dominus præcipit, *Matt. 10.* (Gratis accepistis, gratis date:) sed id, quod contra voluntatem domini accipitur, retineri tuta conscientia non potest. Hæc ratio est S. Thomæ 2. 2. quæst. 100. art. 6. vbi sic ait: Nullus potest licitè retinere id, quod contra voluntatem domini acquisiuit; puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille quæ acciperet, licitè retinere non posset. Dominus autem, cuius Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, *secundum illud Matth. 10.* (Gratis accepistis, gratis date.) Et ideo qui muneris interuentu spiritualia quæcunque assequitur, ea licitè retinere non potest.

Hæc ratio S. Thomæ vim suam habet ex ipso iure diuino, & ipsa natura rei.

Alter opinio est asserentium, id, quod datum est, & acceptum simoniacè restituendum esse, non quidem iure diuino, vel naturali, sed iure tantum Canonico. Ita videtur sensisse, qui sequuntur auctores, Paludanus, in 4. distinct. 25. quæst. 5. art. 1. in tertia pænna, Silu. verb. Simonia, quæst. 20. Aug. eod. verb. 7. q. 1. Tabien, eod. verb. n. 38. Nauar. in Man. cap. 23, num. 103. & 104. Hi omnes ea vnica ratione mouentur, quia in cap. Mand. de Simoniæ, respondet Pontifex, simoniam mentalem ex ingressu in religionem commissam, per quam erat aliquid datum, & acceptum à monachis, qui quemdam in religionem acceperant, sola cordis penitentia expiari debere: quod Pontificis responsum locum non haberet, si restituendi obligatio ex iure diuino, vel naturali nasceretur. Nam sicut lucrum per usuram mentalem acquisitum, debet omnino secundum conscientiam restitui, quia obligatio restituendi id, quod est ex vltura acquisitum, oritur ex ipso iure naturali, & diuino: sic etiam, si obligatio restituendi id, quod ex simonia datum, & receptum est, ex ipsa natura, & iure diuino existeret, deberet restitui, quod est per simoniam mentalem acceptum.

Tertia opinio distinguit in hunc modum: Quod est acceptum per simoniam iure diuino damnatum, debet restitui ex ipsa natura rei, & iure diuino, ut si quis pecuniam acceperat ob sacramenta, quæ contulit. Quod autem receptum est per simoniam, solo iure Canonico prohibitam, restituendum est non quidem iure naturali, vel diuino, sed Canonico. Sic inter alios Henricus, *Quodlib. 6. quæst. 26. ratiocinatur.*

Hanc sententiam sequi videntur Canonici iuris interpretes

preces, Gloffa, in cap. vlt. De simon. Host. eodem cap. Innoc. in cap. Tuus nos, simonia. Butius, Panorm. & Henricus, cap. Mandato, de simonia. Felin. in cap. Ad audientiam 2. de Rescrip. Aiunt enim iustitiores solam voluntatem simoniacam pœnas iuris non contrahere in his, quæ solum iure Canonico, vt simoniaca prohibentur.

Certè in hac quæstione difficile est argumentis vtinque factis satisfacere. Nam si tertiam opinionem sequamur, quæ valde probabilis est, vim habet argumentum, ex cap. Mandato, de simonia vbi habetur, non esse restituendum, quod est receptum ex simonia mentali commissa à Monachis, recipientibus propter pecuniã Monachum in religionem; at talis simonia videtur iure diuino damnata, Henricus loco citato: & Canonici iuris Doctores fortassis respondebunt, eiusmodi simoniam solum esse Canonico iure prohibitam; quia cum Monachus in monasterium admittitur, acquirit Canonici iuris priuilegia, videlicet locum, & suffragium in monasterio inter alios Monachos, & alia multa priuilegia, quæ sunt Monachis Canonico iure concessa. quamuis diuini iuris sit vitæ religiosæ professio, cum sit quid spirituale, & monachi illi, de quibus est sermo, in cap. Mandato, Pecuniam receperant, quia locum, & suffragium in monasterio, quem receperant, monacho concesserant: non autem prætere propter vitam religiosam, quam monachus susceperat.

Si vero primam opinionem amplectamur, certè contra eam facit argumentum ex cap. Mandato, productum. Si enim obligatio restituendi, quod est simoniacè acceptum, ortum habet ex natura rei, & iure diuino, ratio reddi non potest, cur lucrum ex vsura mentali acquisitum, restituendum sit, non autem lucrum ex simonia mentali partum.

Contra secundam sententiam magnum est argumentum, quod sumitur ex S. Thoma loco supra citato: quia quod est Simoniacè receptum, id contra voluntatem domini, cuius sunt bona spiritualia, recipitur; at rerum spiritualium homo tantum dispensator est, non dominus, ergo id, quod accipit, licet retineri nequit, cum Christus, qui est rerum spiritualium dominus, præcipiat, vt gratis det. Quod si respondeas, Christum prohibuisse, ne spiritualia pretio daremus; non tamen continuo inde fieri, vt si pretium acceperimus, restituere debeamus; quia multa fieri prohibentur, quæ tamen postea facta, valent. Vt si quis post simplex castitatis votum matrimonium contraxerit, matrimonium est firmum, & tamen contra votum fecit. Si Titius itidem iureiurando promiserit, se domum suam venditurum Caio, & postea Scio illam vendiderit, ac tradiderit, valet venditio, & tamen violando fidem Caio datam peierat.

At enim hæc responsio satisfacere non videtur; quia quando quis est mandato domini dispensator rei, si contra voluntatem domini dispensando aliquid recipiat, id tura conscientia retinere non potest, vt dixit, S. Thomas. Quare tertia sententia mihi videtur esse vera, vt in quæstione sequenti confirmabo.

Secundò quæritur, An quod est datum, & acceptum per simoniam, animo tantum, & voluntate conceptam, sit secundum conscientiam restituendum? V. g. Confert quis alicui beneficium Ecclesiasticum, pecunia ab eo accepta, sed sine villo pacto expresso, vel tacito, sola simoniaca voluntate, vtum debeat is, secundum conscientiam, eam pecuniam restituere?

Tres sententiæ sunt. Prima est dicentium, eum restituere debere: hanc tenet Maior in 4. dist. 15. quæst. 7. §. Sed de simonia, Med. Adria. & Sotus locis superiori quæstione citatis. Ratio eorum est; quia lucrum acceptum per vsutam mentalem retineri tuta conscientia non potest, ergo nec quod acceptum est per simoniam mentalem: quoniam sicut lucrum vsurarium debet restitui, vt pote acquisitum ex mutuo, quod gratuito dari debet; sic pecunia, quæ est recepta ob rem spirituales restituenda est, quia spirituale dari non potest, nec debet, nisi gratis.

Secunda sententia est assentientium, acceptam pecuniam per simoniam mentalem, non esse restituendam. Caiet. 2. 2. quæst. 100. art. 6. & in summa, in verbo Simonia, Astenus, lib. 6. tit. 5. art. 5. quæst. 4. Silu. verbo Simonia, 20. Tabien. eod. verb. num. 76. & verb. Restituito, num. 13. Arnil. in verb. Simonia, num. 38. Nauar. in Manuali, cap. 23. num. 103. Hanc sententiam illi ita confirmant: In cap. Mandato de simonia, statutum est, simoniam mentalem, quæ fuit commissa in receptione cuiusdam monachi, ob pecuniam datam ab eo, sola cordis pœnitentia deleri, sine vlla restitutione.

Tertia sententia est eorum, qui aiunt pecuniam receptam per simoniam mentalem, iure diuino, & naturali prohibitam, restituendam esse: non tamen si fuerit recepta per simoniam mentalem, Canonico iure damnatam. Sic Innocentius, Hostien. Ioan. Andr. Butius, Panorm. Henricus, & Fel. partim, in cap. Mandato, & partim, in cap. Tuus nos de simonia. Sic etiam Angel. Henric. §. in locis, quos supra retulimus in precedenti quæstione. Vtrumque probant, primum quidem, quia quod receptum est per simoniam iure diuino damnatam, est contra voluntatem domini receptum: ergo secundum conscientiam retineri non potest.

Secundum; quia quod recipitur per simoniam mentalem, solo Canonico iure prohibitam, accipitur tantummodo contra ius Canoniceum, non diuinum: ius vero Canoniceum, vt constat, ex cap. Mandato, de simonia, non præcipit, vt restituatur, quod est per simoniam mentalem receptum.

Quod S. Thomas, de hac quæstione senserit, non est facile iudicare. Nam 2. 2. quæst. 100. art. 6. manifestè dicit: (Nullus potest licet retinere, quod contra voluntatem domini acquisiuit, quando est solum dispensatione rei: & ideo qui muneris interuentu spiritualia quæcumque acquirit, ea licet retinere non potest.) En in eodem articulo ad sextum argum. Sic ait: (Quod apud Deum sola voluntas facit simoniacum: sed quoad pœnam Ecclesiasticam non punitur, vt abrenunciare teneatur: sed debet de mala intentione pœnitere.)

Vbi S. Thomas in ipso articulo videtur docere, pecuniam receptam per quamlibet simoniam, saltem diuino iure damnatam, restituendam esse. Et in responsione ad sextum videtur locutus non quidem de restitutione, sed de alijs pœnis Ecclesiasticis, vt pote de suspensione, excommunicatione, & reſignatione beneficij, vel rei spiritualis per Simoniam mentalem receptæ.

In hac quæstione primæ opinionis Auctores non facile respondent ad id, quod habetur in cap. Mandato, de simonia, quod contra eos facit. Medina respondet, in eo capite, Pontificem solum locutum fuisse de iudicio exteriori, non interiori conscientia. Nam plenè responsio diluit argumentum; quia interrogatus fuerat Pontifex, quid facturi essent religiosi, qui in receptione cuiusdam monachi pecuniam per simoniam mentalem receperant. Et respondit Pontifex, per pœnitentiam eorum eos satisfacere Creatori suo debere. Vbi certè Pontifex de ipsa etiam conscientia obligatione locutus est.

Alius Medina Bartholomæus in suo Instructorio confes. lib. 9. cap. 14. §. 21. ait, in eo capite Pontificem sequentem esse probabilem opinionem eorum, qui dicunt, acceptam per simoniam mentalem, non esse restituendam. Profecto multo minus hic respondet argumento: quia non est, cur decreta Pontifici sic interpretemur, aut eludamus. Adrianus, Maior, & Sotus litteram illius, cap. Mandato, dicunt, sic esse contemendam: Consultationi tux breuiter respondentes, dicimus mandatum Apostolicum etiam ad Abbates extendi, & ad resignationes spiritualium, & temporalium: & hæc duo puncta esse ponenda ita ex mente Pontificis; accepta spiritualia, & temporalia per simoniam mentalem retineri non posse. Et deinde continuant litteræ textus: Quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedere, vtinque taliter acquiruntur. In quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori, eos per simoniam huiusmodi non teneat.

teneri. Sicilli. Acti pontificis sensus sit: Vt mandatum eius, quod dederat, extendetur ad duos, nimirum ad Abbates, & Monachos, & ad resignationes spiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrinque taliter erant acquisita, ita ut nec Monachi accepta restituerent, nec ad aliud transirent Monasterium.

Et ideo subiicitur: In quo casu delinquentibus sufficit per solam penitentiam suo satisfacere Creatori, videlicet, quia ipse Pontifex sua auctoritate indulserat, ne accepta restituerent, & ne Monachi ad aliud Monasterium transirent, ut debebant iure communi, *ex cap. Quoniam de Simonia.*

Sed eam hæc interpretatio decreti pontificis ipsam textum, & litteram evertit: quia in eo aperte dicitur, Monachos ad resignationes spiritualium, & temporalium eorum, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente utrinque acquiritur, non teneri; quia in eo casu delinquentibus sufficit per solam penitentiam satisfacere Creatori. Et ita textum illum communi consensu Canonici iuris interpretet intelligunt, & explicant.

Quare dicendum est ultimo, tertiam sententiam veram esse, videlicet pecuniam acceptam per simoniam mentalem, iure diuino prohibitam, esse restituendam, & id probat ratio. S. Thom. *quæst. 100. art. 6.* quia accipitur contra voluntatem domini, & contra ipsam naturam. Idem etiam confirmat argumentum de eo lucro, quod est per usuram mentalem acceptum: confirmat etiam argumentum ductum ex eo, quod habetur in *cap. Si quis neque, 1. quæst. 1. in verbis illis:* (sine fraudulento munusculo.) Id vero, quod est acceptum per simoniam mentalem, solo Canonico iure damnatum, non est restituendum, quia de hac simonia loqui videtur Pontifex in *cap. Mandato, de simonia,* nisi alia ex causa ad restitutionem sit obligatio.

Tertio quaeritur, An quicquid temporale est per simoniam quamlibet realem acceptum, debeat restitui? Quidam putarunt, solum esse restituenda, quæ sunt accepta per simoniam realem commissa in ordine, vel beneficio Ecclesiastico, vel ingreditur ad religionem; quia Decreta Pontificum, & Conciliorum in toto titulo de simonia, solum loquuntur de acceptis per simoniam realem in tribus, quæ attulimus. Verum hæc opinio est omnino falsa, & contra omnium Doctorum sententiam, & pugnat cum eo, quod dixit Christus. *Matth. 10.* (Gratis accepistis, gratis date.) Cum enim sacramentorum Christus solum sit dominus, ministri vero, qui ea conferunt, solum sint dispensatores; si aliquid sacramentum, vel rem spirituales pretio vendant, illud tunc conscientia retinere nequeunt, quia contra voluntatem domini recipiunt.

Quarto quaeritur, An sit restituendum temporale bonum, quod est receptum per simoniam conventionalem. V. g. Titius ex pacto, vel conventionem recipit pecuniam, vel ut ordinem daret, vel beneficium conferret Ecclesiasticum: quaeritur, An quando spirituale nondum dedit, sed recepit temporale ex pacto, debeat restituere id temporale, quod accepit.

Dicendum est, restituere eum debere, non quia per simoniam realem accepit, siquidem ea ad effectum deducta non est, cum spirituale nondum fuerit datum, & acceptum, sed quia ex pacto, conventionem dandi spirituale accepit: at quod datum, & acceptum est ex causa, siue ex promissione, restitui debet, quandoque causa subsequi, vel promissio impleri non potest. Cum igitur Titius pecuniam accepit ex pacto, ut rem spirituales daret, & totum pactum, & conventio reuocari iure debeat, cum sit simoniaca, & consequens est, ut pecuniam acceptam retinere non possit.

Quinto quaeritur, An spiritualia per simoniam realem accepta dimitti, & renunciant debeat; Hactenus dixi de restitutione temporalis boni, quod est per simoniam receptum: nunc dicendum mihi est de obligatione dimittendi,

Instit. Moral. Par. 3.

vel resignandi spiritualia per simoniam accepta. V. g. Titius ordinem, vel beneficium Ecclesiasticum per simoniam accepit; quia pecuniam dedit, ut illa impetraret. Quaeritur, quid facturus sit, ut sit tuta conscientia? In *cap. Si quis neque, 1. quæst. 1.* ita habetur. (Si quis neque sanctis polens moribus, vel neque à Clero, Populoque vocatus, vel pulsatione coactus, impudenter Christi Sacerdotium iam quodlibet facinore pollutus, iniusto cordis amore, vel fordibus preelibus oris, siue comitatu, siue manuali seruitio, siue fraudulento munusculo Episcopalem, seu Sacerdotalem non lucro animarum, sed inanis gloriæ avaritia fultus, dignitatem accepit, & in vita sua non sponte reliquit, eumque inasperata mors penitentem non inuenierit, proculdubio in æternum peribit.) Hæc ibi Pontifex. Si quis igitur beneficium Ecclesiasticum per simoniam realem accepit, illud dimittere, & resignare debet. *cap. Mathias, de simonia.*

Quid, si eo infcio, aut etiam inuito, alius pro ipso pecuniam dederit? Respondeo, etiam tunc per simoniam beneficium esse collatum, quamvis ipse simoniacus non fuerit: & proinde beneficium deponere cogitur. *ex cap. De simoniace, cap. De regularibus. Et cap. Nobis, de simonia.* nisi pecunia fuerit per dolum data, videlicet, ut illi noceret. *cap. Nobis modo citato.* Deinde etiam inuito eo, alius pecuniam dedit, simoniacus est, si postea ratum habuerit, soluendo pecuniam promissam, vel reddendo promissam. *cap. Sicut tuus, de simon.*

Quartus, An qui per simoniam realem beneficium accepit, fructus perceptos restituere debeat? Respondeo eum S. Thom. 2. 2. *quæst. 100. art. 6. ad 3.* Si sciens beneficium accepit, debet restituere fructus non solum perceptos, sed etiam eos, qui percipi potuerunt à possessore diligenti. Fructuum nomine intelliguntur ij fructus, qui supersunt, deductis impensis factis causa fructuum colligendorum, & seruandorum.

Si quid itidem ex fructibus impendit in utilitatem Ecclesie, id non cogitur restituere: Si autem ipso infcio, vel inuito, per alios fuerit simonia commissa, debet beneficium resignare vna cum fructibus, qui extant: non autem iure compellitur eos fructus restituere, quos bona fide consumpsit: nam cum bona fide beneficium possederit, fructus consumptos fecit suos. Si vero ex fructibus consumptis fuerit locupletior factus, debet id restituere, in quo est factus ditior.

Sexto quaeritur, Quid restituere, vel resignare debet, qui per simoniam realem ordinem accepit? Respondeo S. Thomas *quæst. Et art. citatis in solutione primi argumenti,* his verbis: (Is, qui simoniace recipit ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam sacramenti, non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem, eo quod quasi futuræ suscepit characterem contra principalis domini voluntatem, & ideo est ipso iure suspensus, & quoad se, ut scilicet de executione sui ordinis se non intromittat, & quoad alios, ut scilicet nullus ei communice in ordinis executione, siue sit peccatum eius publicum, siue occultum: nec potest repetere pecuniam, quæ turpiter dedit, licet alius iniuste retineat.) Hæc S. Thom.

Animadvertendum est, eum qui per simoniam primam tonsuram accepit, non posse ad vteriores ordines promoueri; quia est suspensus. Nam prima tonsura pro ordine habetur in iure Canonico, *cap. Cum contingat, de ata. Et qual.* Is vero, qui fuerit aliquo minori ordine per simoniam initiatus, nec potest illius ordinis functionem exercere, nec ad superiores ordines ascendere; quia est ipso iure suspensus. Sciendum est etiam, Simoniacos suspensos ob ordinem Simoniace receptum, non esse virandos post Concilium Constantiense, nisi fuerint tanquam tales speciatim denunciati, ut dicam inferius.

Quid, si aliquis ordinem receperit, alio pro ipso pecuniam dante, eo infcio, vel inuito? Respondeo, eum quoque, priuati vsu ordinis tunc recepti, non aliorum, quos tunc accepit. Panormitanus. in *cap. De simoniace, de simonia:*

nisi alius pecuniam dederit dolose, scilicet voluntatem ei nocendi, ex cap. Sicut tuis, de simonia.

Septimò queritur, Quid dicendum sit, quando per simoniam realem est quis in Monasterium, vel Collegium Canoniorum receptus? Respondeo, in hunc modum eum Panormitano, in cap. De hoc, de Simonia; loquamur de Ecclesia seculari: Autis, qui dedit pecuniam, non habet, unde viuat, & tunc ei restituenda est, ex cap. Veniens, de simonia: aut aliunde habet, unde viuere queat: & tunc si omnes Canonici deliquerunt, non debet pecunia Ecclesie dari, nisi criminosis ex ea Ecclesia expellantur: si verò non omnes deliquerint, sed solus Prælati, vel certus aliquis Canonici, dabitur pecunia Ecclesie, in cuius ignorantia data, & accepta est, cap. De hoc de simonia.

At si loquamur de Ecclesia regulari, si omnes deliquerunt in Monacho simoniacè recipiendo, tunc reddenda est pecunia ei, qui dedit, vt ad aliud Monasterium se conferat, & secum portet alimentum, unde viuat, cap. Veniens, de simon. eo quod nequit permanere in primo, in quod simoniacè admissus est, cap. Quoniam, de simonia. Si vero solus Prælati, aut priuati Monachi deliquerunt, tunc si monachus, qui est receptus, fuerit professus, ad aliud Monasterium transire cogitur, cap. Veniens, & cap. Quoniam, de simonia. Et illud Monasterium, ad quod transit, habebit vltimum fructum illorum bonorum; & eo mortuo, reuertentur illa bona libera ad priuati Monasterium. Glossa Hostien. & Butrius. Quod si ei Pontificia auctoritate fuerit indultum, vt in eodem Monasterio remaneat, potest quoque eadem auctoritate concedi, vt pecunia data ad idem monasterium pertineat.

Octauò queritur, An per simoniam tantummodo conventionalem, contrahat quis penas iuris? V. g. Titius beneficium accepit ex pacto, vt pecuniam daret, Quæritur, an ipso iure sit beneficium priuatus, cum nondum pecuniam promissam dederit? Respondeo, eum non esse priuatum ipso iure. Sic Gomes in Regula de Triumali possessio. quest. 12. ad finem, Casado. decis. 5. de constitut. Cæcilianus in Summa, verbo Simonia, vers. Potest autem simonia mentalis, Nauar. in Manuali, cap. 23. num. 104. Coartu. in regula peccatum, par. 2. §. 8. num. 7. Armilla in verbo Simonia, cap. 4. & id habet ityus, & mos curiæ Romanæ. Nihilominus verò per sententiam Iudicis, de crimine condemnatus, priuandus est beneficium, quia id crimen meretur.

Nonò queritur, Quid dicendum sit de beneficium per simoniam confidentialem accepto? Respondeo ex his, quæ superius dixi secundum constitutionem pontificiam Pij Quarti, editam contra simoniacos confidentiales, nullam esse beneficij imperationem. Unde beneficium per huiusmodi simoniam obtentum, ipso iure vacat, & tanquam vacans, potest ab alio impetrari; nec tunc quidem, nisi à solo Romano Pontifice, quia beneficium est affectu: fructus quoque percepti omnes sunt restituendi. Nec valet, si is, qui beneficium per talem simoniam accepit, vltimam resignationem, vel permutationem fecerit: nec valet pensionis reservatio in huiusmodi beneficio constituta.

Decimò queritur, An resignatio beneficij facta per simoniam realem, sit rata, & firma? Respondeo, minime. Nauar. in Manuali, cap. 23. num. 110. ex Innocentio, & Panormitano, in cap. Cum vnuerforum, de rerum permuta. is verò, qui resignauit, non amittit ipso iure beneficium, quod simoniacè resignauit, quamuis in foro exteriori eo beneficio priuabitur, quia id meretur. Nauar. loco supra citato.

Vndecimò queritur, Cuiam sit restituenda pecunia per simoniam realem accepta? Sotus, lib. 9. de Iustitia, q. 8. art. 7. censet, eam pecuniam ante Iudicis sententiam esse restituendam ei qui dedit. Hæc opinio videtur esse contra Canones, & Decreta. nam cap. De hoc & cap. Consulere, & cap. Audiuimus, de simon. expressè traditur, restitui debere Ecclesie, in cuius iniuria data, & accepta est res spiritualis. Idem ait S. Thomas 2. 2. quest. 100. art. 5. ad 4.

Omnium Theologorum, Summistarum, & Canonici iuris interpretum sententia communis, est, debere Ecclesie restitui, in qua est eiusmodi simonia commissa; & restitutionem esse faciendam ante Iudicis sententiam, & criminis condemnationem; quia vtrumque Canones, & Decreta præcipiunt, cap. De hoc, cap. Consulere, & cap. Audiuimus, paulò ante citatis.

Dices, pena ante Iudicis sententiam, & condemnationem criminis non contrahitur, ergo ante eam talis restitutio fieri non debet. Respondeo, talem restitutionem penam non esse, sed obligationem reddendi pecuniam simoniacè datam, & acceptam: & talis obligatio nascitur, vel ex ipsa rei natura, & iure diuino, quia dispensator bonorum spiritualium contra Domini voluntatem pretium accepit, & retinet. Vel nascitur ex iure Canonico, quod reddit in habiles dantes, & accipientes pretium ob bonum spirituale simoniacè datum, & acceptum. Quod autem ei, qui dedit, non sit restituenda pecunia, inde est, quia turpiter dedit, & quia Canones, & Decreta præcipiunt, vt restituatur Ecclesie, in cuius iniuriam dedit.

Secundò obijciens, S. Thomas, in 2. 2. quest. 33. art. 7. dicit: Id, quod est per simoniam acceptum, non debet restitui ei, qui dedit, sed debet in elemosinas erogari; ergo falso dictum est, restituendum esse illi Ecclesie, contra quam est simonia commissa. Respondeo, eum locum S. Thomæ accipiendum esse in eo sensu, quem tradidit ipsemet Sanctus Thomas 2. 2. quest. 100. art. 6. ad 4. vbi ait: (Pecunia, vel possessio, vel fructus simoniacè accepti, debent restitui Ecclesie, in cuius iniuriam data fuerunt, non obstante, quod Prælati, vel aliqui de collegio illius Ecclesie sint in culpa; quia eorum peccatum non debet alijs nocere; ita tamen, quod quantum fieri potest, ipsi, qui peccauerunt, inde commodum non consequantur. Si verò Prælati, & totum Collegium sunt in culpa, tunc debet auctoritate superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesie erogari.) Ita S. Thomas.

Cum illius sententia conueniunt, quæ tradunt iuris Canonici petiti in cap. De hoc, de simonia, & præteritum Panormitanus, de hac re ita loquens: Si in Ecclesia aliqua seculari fuerit simonia realis commissa, in qua peccauerint Prælati, & omnes Canonici, & beneficia ex Collegio illius Ecclesie, tunc non est restitutio facienda illi Ecclesie, nisi eiciantur qui peccauerunt. Quod si non eiciantur, restituatur pecunia simoniacè data, & accepta Papæ.

Si verò simonia realis fuerit commissa in receptione Monachi ad certum Monasterium, ac totum Collegium Monachorum in culpa fuerit, pecunia reddenda est ei, qui dedit, vt ad aliud Monasterium transeat, cum in primo perseverare non possit ob simoniam, cap. Veniens, de simonia. At in cap. Quoniam, de simonia habetur, Monachos pretio receptos vna cum recipientibus è Monasterio esse depellendos, & in archioribus monasterijs ad aegram penitentiam detrahendos: sed receptos ante Concilium generale Lateranense, sub Innocentio Tertio, cuius est decretum illius capituli, ponendos esse in alijs eiusdem ordinis Monasterijs. Quod si forte propter nimiam multitudinem alibi nequiverint commodè collocari, in eisdem Monasterijs retinendos esse: ita tamen, vt cedant prioribus locis, & inferiora, scilicet, loca illis assignentur. Hoc idem habet S. Thomas ad verbum in 2. 2. quest. 100. art. 6. ad 5.

Quid, si Monacho infæto, fuerit ipsius facta receptio, videlicet alio pro ipso pecuniam dante Monachus, qui recipitur? Respondet S. Thomas ibidem. (Si verò Monachi recepti ignorant simoniam, siue ante Concilium, siue post facta fuerit simoniacè receptio, postquam renunciauerint, possunt de nouo recipi, locis priuatis mutatis, vt dictum est.)

Ita S. Thomas.

De Pœnis iure constitutis in Simoniacos.

CAPVT XX.

PRI-MO queritur, An Simoniacus sit ipso iure suspensus? Respondeo, eum, qui sciens Simoniacè ordinem suscepit, siue occultus, siue notorius, esse communi iure suspensum non solum ab ordine simoniacè suscepto, sed etiam ab ordinibus, quos antea sanctè, & licitè susceperat. Panormitan. in cap. Per litteras 2. de Simonia num. 5. Angel. eod. verbo. num. 6. Siluest. in verbo suspensio, quæst. 7. quoniam sacramentum ordinis est vnum, quamuis ordines sint plures. Ideo, qui simoniam committit in vno ordine recipiendo, vitiat sacramentum ordinis. Panorm. loco citato. Innocen. in cap. Tanta, de Simon.

Quid, si Titius recepit ordinem, Cuius dante pecuniâ ordinari, ut ipsi Titio ordines conferret? Respondeo, si Titio sciens, & non contradicente, data est pecuniâ, eum esse suspensum, & ab ordine quem suscepit, & ab alijs ante receptis; quia Titius fuit simoniæ conscius, & eo ipso quo tacuit, in simoniam consensit. Si verò Titio nesciente, vel reuente, Caius pecuniâ dederit ordinari, tunc Titius tantummodo est suspensus ab ordine tunc recepto, non ab alijs olim susceptis. Panormitanus, loco citato, & colligitur ex cap. Si qui simoniaci. 1. quæst. 1. Siluest. in verbo suspensio, quæst. 7. & Innocentio cap. 1. de Simonia.

Quid itidem, si Titius ordinem receperit à Simoniaco? Respondeo, eum esse suspensum, & ab ordine tunc recepto, & ab alijs prioribus, si sciens ordinatorem simoniacum esse, & ordinatus fuit. Si vero ignorans ordinem receperit, est suspensus tantum ab ordine tunc recepto. Panorm. cap. per tuas 2. de Simon. num. 6.

Quid, si ordinator erat occultus simoniacus, non verò manifestus? Glossa, in cap. Si qui à simoniaci. 1. quæst. 1. censet eum esse suspensum ab ordine, quem tunc recepit. Glossam sequitur Siluest. in verbo Simonia, quæst. 8. vers. 5. quamuis Nauarrus in Manuali, cap. 23. num. 68. sequatur Aegidium Bellameram, in cap. Si qui à simoniaci. 1. quæst. 1. neget eum esse suspensum. Sed Glossæ sententia est verior, & eam sequitur Archidiaconus. in cap. Si quis à simoniaci citato, Innocentius, & Panormitanus, in cap. Tanta, de Simonia, & Ioannes in Summa Confessor. lib. 1. tit. 1. quæst. 47. vbi citat. Reynerium, Gofredum, & Hostiensium idem sentientes. Et ratio est, quia tamen Titius qui est ordinatus, nullum simoniæ crimen admisit, eum bona fide ignorauerit ordinatorem simoniacum esse, ordinem suscepit à Simoniaco. Et in cap. Si qui à simoniaci. 1. quæst. 1. ipso iure suspensum sunt, qui ordines à simoniaci recipiunt. Ibi enim dicitur: Si qui à simoniaci non simoniacè ordines suscipiunt, misericorditer sustinemus. Nec ius distinguit inter eos, qui ordinantur à simoniaco occulto, & inter eos, qui ordinantur à manifesto, & notorio.

Quæres, quid, si Titio nescio, Caius pro ipso dedit, vel promiserit pecuniâ ordinari, ipseque Titius postea Caium promississe, vel dedisse, pecuniâ promissam soluet, vel solutam restituet? Respondeo, Titium nihilominus esse suspensum ab ordine, quem tunc recepit, quia quamuis in recipiendo ordine simoniam non commiserit, ordinatus tamè est à simoniaco. Titius itidem, si postquam ordinatus est, ratum habuit factum Caij, quo ordinari pecuniâ dedit, vel promissit suspensus est ab ordine tunc suscepto; quia in hac parte rathabito mandato æquiparatur, & retrahitur ad tempus, quo est data, vel promissa pecuniâ. Siluest. in verbo Simonia, q. 8. vers. 3.

Si secundo roges, An sic ipso iure suspensus, qui suscipit ordinem ab Episcopo, qui simoniacus est ex alia causa, quam ex ordine per simoniâ recepto? S. Thom. 2. 2. q.

100. art. 6. ad 1. & ad 7. ita respondet: (Si verò Episcopus sit simoniacus; quia dedit, vel recipit beneficium simoniacè, vel quia fuit mediator simoniæ: si delictum est publicum, est ipso iure suspensus, & quoad se, & quoad alios, sed quando est occultum, est ipso iure suspensus quoad se tantum, non quoad alios.)

Sensus S. Thomæ est: Quando ordinator est simoniacus aliunde, quam ex ordine simoniacè recepto; si fuerit notorius, est ipso iure suspensus, & quantum ad se, & quantum ad alios: hoc est, nec ipse potest ordines conferre, nec alij possunt ab ipso recipere: quando verò est occultus, est suspensus solum, quoad se, ac propterea peccat ordines conferendo, non tamen est suspensus quantum ad alios, & ideo qui ordinantur ab eo, recipiunt ordinis functionem, & vnum. Idem docet Ioan. in Summa confess. lib. 1. tit. quæst. 47. & 48.

Secundò queritur, Quid dicendum sit, quando Titius mandato sui Episcopi, per simoniam ad Episcopatum promoti, vel metu ab ipso coactus, ordinem ab eo suscepit? Quidam, ut testatur S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 2. & Glossa in cap. Si qui à simoniaci. 1. quæst. 1. in verbo Probare, dixerunt: si Titius possit probare, Episcopum esse simoniacum, non debet ab eo ordinem suscipere: si verò id probare nequeat, debet ordines recipere; in eis tamen ministrare non potest sine superioris dispensatione legitima.

Sed hoc, inquit S. Thomas, absque ratione dicitur, quia nullus debet alteri obedire ad communicandū sibi in facto illicito. Ille autem, qui est ipso iure suspensus, & quoad se, & quoad alios, illicitè confert ordinem. Vnde nullus debet illi obedire, recipiendo ab eo quacunque ex causa ordinem, si autem ei non constat, non debet altius peccatum credere. Erta cum bona conscientia debet ab eo ordinem recipere. Sic S. Thomas. Vnde ibidem ad quæstionem propositam respondet, Titium nec propter præceptum sui Episcopi, nec etiam metu excommunicationis, debere suscipere ordinem ab Episcopo, quem nouit esse simoniacè promotum: & si ordinetur, non recipit ordinis executionem, etiam si ignoret, eum simoniacum esse, sed indiget dispensatione. Glossa verò, in cap. Si qui à simoniaci. 1. quæst. 1. dicit: Qui metu coactus recipit ordinem à Simoniaco, iure admittendus est ad ordinis executionem ex cap. constat. 1. quæst. 1. Vnde non est, inquit, idem iuris de eo, qui ignorans recipit ordinem à simoniaco, quod de eo, qui metu compulsus suscipit: quia magis constat de voluntate coacti hominis, quam ignorantis. Ita Glossa. At cum S. Thom. sentiat Ioannes in Summa confess. lib. 1. tit. 1. quæst. 47. Reynerius, Gofredus, & Hostiens. ab illo citati.

Tertiò queritur, An ordinator, qui est Simoniacus, in ordine conferendo sit iure suspensus, non solum quantum ad se, sed etiam quantum ad alios? Panorm. in cap. Per tuas 2. de Simonia, num. 7. ait. Gofredum sensisse, talem non esse suspensum quantum ad alios, nisi per trimum, ex cap. penult. de Simonia, sed ipse Panorm. eum Innocen. in eod. cap. penult. credit, verius esse, eum qui per simoniam ordinem confert, perpetuò esse suspensum ab ordinibus, cap. Si qui à simoniaci. 1. q. 1. & propterea à tali simoniaco, quamuis occulto, non esse aliqua sacramenta recipienda, nisi Baptisimum, & corpus Christi, tempore necessitatis tantummodo. Sic etiam Angelus in verbo Simonia 6. num. 1.

Ceterum S. Thomas, 2. 2. q. 100. art. 6. ad 1. & ad 2. ait: (Si autem Episcopus sit simoniacus aliquo alio modo, quam per promotionem suam simoniacè factam, puta quia contulit ordinem simoniacè, vel quia dedit, vel recepit beneficium simoniacè, vel quia fuit mediator simoniæ, potest ab eo quis ordinem recipere, si licet occultum delictum; non verò, quando est notorium: quia si occultus sit eiusmodi simoniacus, non est suspensus quoad alios, sed solum, quoad seipsum, vt dictum est in responsione ad primum.) Hæc S. Thomas.

Idem etiam dicit Ioannes in *Summa confessor. lib. 1. tit. 1. quest. 47* Et 48. Siluester in *verbo Ordo. 3. quest. 12.* At in *cap. Si qui a simoniaco. 1. quest. 1.* generaliter videntur intelligi simoniaci ordinatores, ex ordine siue recepto, siue dato simoniace, & suspensi ab ordinibus censentur: Si quidem ibi dicitur: A talibus simoniacis ordinationes factas misericorditer sustinemus.

Quarto queritur, An ob solam suspensionem, qua sunt generaliter suspensi ordinatores, simoniaci ex ordine simoniace dato, vel accepto, incidant in suspensionem iij, qui ab huiusmodi ordinatoribus simoniacis ordinem recipiunt? Sciendum est, ante Constantiense Concilium fuisse receptum, vt quotquot erant generaliter suspensi, interditi, vel excommunicati, vitari deberent, occulte quidem, si erant occulte; notorie vero, si notorie, & manifesti. In eodem Concilio vero Constantiensi edita est constitutio, quæ incipit: (Ad euitanda scandala,) quam ad verbum refert Siluester, in *verbo Excommunicatio. 5. num. 7. vers. Sciendum est quarto:* in qua decretum est, eos, qui generaliter suspensi, interditi, vel excommunicati sunt non esse vitandos, nisi fuerint specialiter denunciati, aut notorie Clericorum percussores. Vnde ab eo tempore, qui ordines suscipiunt a simoniacis, qui tantum sunt generaliter suspensi ob ordinem simoniace datum, & receptum, non contrahunt suspensionem ab ordine, eo quod tales simoniaci solum generaliter suspensi, vitandi non sunt post Concilium Constantiense. Ita Sotus *lib. 9. de Iustitia, questio. 8. art. 1. ad primum.* Nauarrus in *Manuali cap. 23. num. 68.*

Quinto queritur, An quicumque simoniam realem in beneficio Ecclesiastico conferendo, vel recipiendo commisit, sit ipso iure suspensus? Respondeo, cum non esse suspensum, si crimen sit occultum. Panor. in *cap. Per litteras 2. de simon. num. 8. Et cap. Tanta, de simon. num. 5.* dicit non esse suspensum, quantum ad alios, sed quantum ad se. Et ideo si beneficium resignat, potest ordinem suum exequi post legitimam penitentiam: sed quamdiu beneficium retinet, in quo simoniam admisit, id eam penitentiam non agit. Sic Panor. in *cap. Si vero sit quis simoniaco, quia contulit ordinem simoniace, vel quia dedit, vel recipit beneficium, vel quia fuit mediator simoniace, si est publicus, est ipso iure suspensus quo ad se, & quo ad alios: si est occultus, est suspensus ipso iure quo ad se, non autem quo ad alios.* At Nauarrus in *Manuali, cap. 23. num. 111. vers. Tertio dico,* ex Innocentij sententia: dicit eum non esse suspensum, ac posse sacra administrare dimisso beneficio post penitentiam legitimam; quia in iure Canonico nulla extat huiusmodi pena. Hoc autem intelligitur, si sermo sit de simonia, quatenus tali: nam ex alio capite potest esse suspensus, si videlicet fuerit simoniaco notorius: nam enim depositione dignum, qualis est simonia, inducit quandam irregularitatem, vel suspensionem. Vnde Panor. in *cap. Per litteras 2. de simon. num. 8.* dicit, huiusmodi simoniaco notorium esse ipso iure suspensum, *dist. 33. §. Verum.* Et in *cap. Tanta, de simon. num. 5.* dicit eum esse suspensum, quantum ad alios. Et licet beneficium resignet, eget dispensatione, sicut quilibet notorius criminiosus. Sic ille. Et hoc sensu fortassis dixit S. Thomas, talem simoniaco esse iure suspensum, quantum ad se, & quantum ad alios, videlicet, quando est notorius. Insuper ex *cap. Accusatum, Et cap. Quoties, de simonia,* si quis est publica infamia notatus, & accusatus, ob simoniam in ordine commissam, iure eum prohiberi a iudice ministrare in altari, donec se legitime purgauerit.

Sexto queritur, An omnis Simonicus realis sit ipso iure excommunicatus? Respondeo, omnem simoniaco realem in ordine, vel beneficio, siue notorium, siue occultum, esse iure ipso excommunicatum, nec ab alio, quam a Romano Pontifice posse absolui, extra articulum mortis; vt habetur in *Extravaganti secunda, de simonia*

inter communes, Et Extravag. Martini Quinti, qua incipit. Multa in Concilio Constantiensi, sess. 43. Et in alia eiusdem Pontificis Extravaganti, cuius initium est: Damnablem, vti ab Angelo citatur in verbo Simonia 6. num. 9. Silu. eod. verbo, quest. 19.

Ex quo fit, vt Simoniacus in ordine indigeat absolute a suspensione, & excommunicatione. At Simoniacus in beneficio solum indiget absolute a suspensione, & excommunicatione. Nauarrus in *Manuali, cap. 23. num. 111.* Præterea qui mediator fuerit, vel procurator, vt realis simonia committatur in ordine, vel beneficio, ipso iure in excommunicationem incidit, *extravagan. 2. de simon. inter communes.*

Quæres, An per simoniam realem in alijs, præterquam in ordine, & beneficio commissam, incurrit quis ipso iure in excommunicationem? Sotus *lib. 9. de Iust. quest. 6. art. 6. ait,* omnem simoniaco realem esse ipso iure excommunicatum. Id vero dicitur propter extravagantem de simon. inter communes. Caietanus in *Summa, in verbo, Excommunicatio, cap. 72. ait,* excommunicatum esse eum, qui per simoniam obtinet officium Prioris, vel Guardiani, vel quodvis aliud simile in aliquo regulari ordine, quod quidem is Auctor etiam dicit propter eandem extravagantem. Quia licet, inquit, non sit beneficium, est tamen officium Ecclesiasticum, quod beneficio æquiparari videtur. Nauarrus autem in *Manuali, cap. 23. num. 111.* scribit nullum simoniaco iure ipso esse excommunicatum præter simoniaco realem in ordine, vel beneficio. Sic etiam Angelus, in *verbo Simonia 6. num. 9. Rosella eodem verbo, num. 13. ad finem.* Siluest. eodem verbo, *quest. 12. Tabien. eod. verbo, quest. 73.* Hæc opinio est verior propter eam rationem; quia in iure nulla est talis excommunicatio constituta, nisi in simoniaco realem in ordine, vel beneficio.

Septimo queritur, An Simoniacus sit ipso iure infamis, & pœnam depositionis mereatur? Respondeo, Simoniacos in ordine, vel beneficio ipso iure infamiam contrahere, & depositionis pœnam mereri, *cap. Sana, 15. quest. Et cap. Inquisitionis, de accusat.* Hæc tamen duæ pœnæ non contrahuntur, nisi post sententiam Iudicis, vel per propriam cuiusque simoniaci confessionem in iudicio, vel per euidentiam facti. Angelus, Rosell. Siluest. Tabien. locis supra citatis.

Octavo queritur, An extet alia quæpiam pœnam in iure contra Simoniacos? Respondeo, omnem præsentationem, nominationem, electionem, institutionem, collationem, prouisionem, qua quis ad beneficium Ecclesiasticum per simoniam realem assumitur, ipso iure irritam esse, & inanem, *Extravaganti secunda de simonia, inter communes, Et in Extravag. Martini Quinti, supra citatis.*

Si roges, An qui est Simoniacus in pensionibus Ecclesiasticis simoniace perceptis, incidat in prædictas pœnas, videlicet in suspensionem, excommunicationem, & infamiam? Respondeo, minime, Nauarrus in *Manuali, cap. 23. num. 111.*

Nono queritur, An excommunicatio, vel suspensio contrahatur ob simoniam mentalem in ordine, vel beneficio commissam? Verbi gratia, ordinatur quis, vel impetrat beneficium gratis quidem, sed simoniaca voluntate absque vilo pacto expresso, vel tacito dandi aliquid temporale, an hic pœnas iuris, videlicet excommunicationem, vel suspensionem incurrit? Respondeo, minime; quia Ecclesia non solet punire mentis, & voluntatis affectus.

Decimo queritur, An excommunicatio, & suspensio, & alie pœnæ iuris contrahantur, ob simoniam conuentionalem in ordine, vel beneficio commissam? V. g. Titius cõfessit Episcopus beneficium, vel ordinem, eo pacto, vt aliquid ob eo cõsequatur. Queritur, An Titius beneficium resignare debeat, etiã cum nondum promissum temporale munus de-

nit: & An sit ipso iure excommunicatus, vel suspensus. Sunt qui existimant, ipso iure Titium esse priuatum beneficio, ac proinde iure ipso compelli ad illud dimittendum, quia simonia verè, & proprè, & te ipsa est commissà, cum beneficium ex pacto aliquid dandi receperit. Nec impedit, si pecuniam promissam non dederit: nam factus est promissile, eo quod verè, & proprè venditio est, cum aliquid datur pretio, in futurum promisso.

Dicendum est, Titium non esse beneficio iure ipso priuatum, sed sententia iudicis priuandum. Cuius rei ratio in promptu est, non quidem, quod simonia conuentionalis non sit verè, & proprè simonia exterior, sed quod vsus, & stylus Curie Romanæ habeat, vt qui per talem simoniam beneficium consequitur, non sit ipso iure priuatus, sed priuandus. Ita Gomes in *regula de Trienniali possesso, questio. 12. ad finem. Callado. Decis. de consuet. Nauarum in Manuali cap. 23. num. 104.* Nec Titius itidem ob talem simoniam in beneficio, vel ordine commissam, in excommunicationem incidit, aut in suspensionem; quia sunt huiusmodi pœnæ iuris; & vsus Curie habeat, vt in hac parte odia, & pœnæ restantur. Ex quo fit, vt si Titius post eiusmodi simoniam conuentionalem in ordine, vel beneficio patratam, factus se ingesserit, irregularitatem non contrahat: quia non est iure excommunicatus, vel suspensus. Nauarum loco supra citato.

Vndecim queritur, An Titius sit iure excommunicatus, beneficium consecutus per simoniam realem commissam à Caio, dante pecuniam pro ipso? Respondeo eum hac distinctione: Aut Caius dedit pecuniam ipso Titio sciens, aut ratum habente, aut postea reddente pecuniam solutam, & sic est excommunicatus Titius, & beneficium resignare ipso iure compellitur, quia expresse, vel tacite in simoniam à Caio commissam consentit, idq; colligitur, ex *c. Nobis, & c. Sicut iuris, & c. Ex insinuatione, de simonia.* Aut Caius dedit Titio, id ignorante, & tunc postquam Titius id relinquit, beneficium resignare cogitur, non quia Titius simoniam admiserit, sed quia fuerit à simoniaco beneficium consecutus, qui beneficium simoniacè consecrari non potuit. Aut Caius dedit pecuniam dolose, vt Titio noceret, & tunc Titius beneficium resignare nullo iure compellitur, vt colligitur ex *c. Nobis, citato.*

Quid, si Caius pecuniam dederit, ipso Titio ad id contradicente? Respondeo, Titium licet beneficium possidere, eo quod ipso invito sit pecunia data.

Quid iudem, si primum contradixerit quidem, sed postea pecuniam solutam à Caio restituerit ei? Panormitanus censet, Titium tunc beneficium resignare debere. Adiuuans verò *Quodlib. 9. art. 7. id negat*, quia in iure canonico textus nullus extat, vnde id colligitur, dummodo ratum non habeat, quod simoniacè factum est.

Duodecimo queritur, quid sit dicendum de beneficiis, officijs, administrationibus, & dignitatibus, obrentis legitime ante simoniam realem, quando canones, aut Decreta simoniacis imponunt pœnam priuationis Beneficiorum, officiorum, administrationum, dignitatum, quas antea acquisierunt? Respondeo, huiusmodi pœnam non contrahi ante sententiam iudicis, hoc est, ante condemnationem criminis, talia beneficia simoniacos non debere dimittere, & resignare: at quando per iudicem de crimine condemnatur, sententia retrotrahitur ad diem commissi criminis, ita vt ab eo tempore cogantur restituere fructus, & iurium habeatur, quidquid de talibus beneficiis, vel officijs statuerint, vt si talia beneficia permitauerint, aut resignauerint. Sicut, in *verbo Assissinus, questione quinta*, Tabien. *eadem verbo, num. 2. Roici. in verbo absolutio, l. num. 19.* Angelus in *verbo Paena, num. 8. Sotus lib. 1. de instit. quest. 6. artic. 6. ad finem.*

Decimo tertio queritur, quod iudem dicendum, quando quis ob simoniam commissam in beneficio, sit inhabilis ad quaerenda beneficia obtinenda: huiusmodi pœna afficitur ne iste simoniacus ante iudicis condemnationem, ita vt irrita sit beneficii impetratio, postquam fuerit ben-

ficii consecutus? Ratio dubitandi est, quia pœna ante iudicis sententiam non contrahitur. Respondeo, nullam esse beneficii impetrationem, quia est factus inhabilis ad beneficii consecutionem: inhabilitas autem ipso iure contrahitur ante iudicis sententiam, quia potius est in habilitas quædam, quam pœna. Nec per huiusmodi inhabilitatem amittit quis, quod habet, sed impeditur, ne possit acquirere beneficium.

Cuiusnam sit Simoniacum soluere à pœnis ipso iure contractis.

CAPVT XII.

CONSEQUENS est, vt explicetur, Quisnam simoniacum possit iuris pœnis absolueri? Hanc Questionem tractat Panormitanus in *cap. de Simonia, Titul. de Simonia, num. 4.* vbi sic ait: Aut quis adipsit per simoniam ordinem, vel beneficium. Primum casus: aut simonia fuit commissà eo sciens, aut consentiente tacite, vel expresse, vel ipomet pecuniam dante, & tunc secundum omnes solus Papa dispensat. Nec etiam solet Papa dispensare, primo *questione prima & cap. penultimo, de Simonia*, & iste sic Simoniacè sciens ordinatus, non solum est suspensus ab ordine simoniacè recepto, sed etiam ab omnibus ordinibus, vt *§. Veram. D. 32. & c. Reperitur. 1. quest. 1.* At Simonia fuit commissà, eo ignorante, nec postea id ratum habente: & tunc Laurentius, Tancredus hic, quos sequitur Ioan. Calderinus in *cap. penult. de Elect. & c. Post translationem de renuntiat.* distinguunt: Aut delictum est manifestum, & solus Papa dispensat. Argumentum est *ex c. Extus, de Simonia*: Aut non manifestum, & dispensat Episcopus. Sed certe licet Doctores communiter ita sentiant; non tamen puro hoc verum: sed indistinctè dicerem, quod cum tali dispensat Episcopus, primum per istum textum, vbi indistinctè permittitur dispensatio; ergo Episcopus dispensare potest, vt supra dixi.

Item adduco capitulum *Præsentiam 1. quest. 5.* vbi sponte illud fuit confessus se ordinem recepisse pro patre eo ignorante; & tamen dispensat Episcopus: nec poterat non manifestum esse, ex quo illemet confitebatur. Item, cum iste grauetur odio alterius, nec potest dici simoniacus, debet fieri benigna interpretatio, vt Episcopus possit dispensare. *Argum. & reg. Odia, ex reg. Sine culpa, & reg. Non debet, de reg. iur. in sexto*, & paulo inferius subiungit sic: Quod indistinctè possit Episcopus dispensare in hoc casu, fuit textus in *c. de regularibus de Simonia*, vbi permittitur dispensatio tam cum Monacho, quam cum canonicis regularibus, quando interuenit simonia, eis ignorantibus. Et hoc quod primum membrum principale.

Sed quoad secundum de adipsente beneficium per simoniam, distingue: Aut est beneficium curatum, seu dignitas, quæ in hoc aequiparatur, argumento *ex c. De multa de præben. & c. Cum in illis eadem titul. in sexto.* Aut est beneficium simplex. Primum casus dicit Ioannes Calderin. in *loco præallegato*, quod aut fuit sciens, aut ignorans: Si sciens, & sponte renuntiat beneficio, potest dispensari: cum eo ad aliam Ecclesiam: sed non vt habeat illam, vbi fuit commissà simonia, nisi vt habeat ibi aliquid beneficium. Sed tunc non dispensatur, nisi vt ministrer in minoribus Ordinibus. Et probatur *ex c. 1. qua 1.* Durus ergo agitur, vt habeat beneficium in Ecclesia emptâ, quam, vt habeat alibi: quia, vt dixi, aliam potest habere dispensatione, non tamen executione omnium Ordinum; sed illam, vbi commissà est simonia, habere non potest, licet ibi possit habere simplex beneficium, & cum executione minorum Ordinum tantum.

Sed quid, si non renuntiet beneficio, sed expectet sententiam condemnatoriam? In eo puto, quod nullo modo dispenset Episcopus, vt habeat beneficium alibi, vel in Eccle-

simonia, ubi dicitur, talem non posse aliquam dispensationem obtinere. Item sicut textus in *e. t. quæst. 3.* ubi permittitur dispensatio, cum talis sic omnino dimiserit beneficium, & sic sponte renuntiaverit. Secus si expectaverit sententiam. Et potest esse ratio duplex, prima, quia mitius agitur cum confesso, quam cum convicto. *e. Nolo. 3. quæstio. 1.* Item quia, qui damnatus est de Simonia, per sententiam, efficitur in famis in fama iuris. *e. Sane. 15. quæst. 3. c. e. ultimo. 1. qua. 3.* Et cum infami non dispensat Episcopus, nisi in casibus iure expressis in *e. Cum te sent. & re iudic.* Episcopus item dispensat regulariter in adulteris, & minoribus criminibus, ut in *e. Etsi clericus, in fine de iudicij. Sed crimen simoniae est gravius, ut in *e. Sicut. & in e. Licet, de Simon.* Ergo non dispensat Episcopus, ex quo non reperitur expressum. Si vero ignorans receperit beneficium curatum, seu dignitatem, nimirum, quia alius pro eo ignorante dedit pecuniam, tunc aut fuit data à suis amulis, & sibi non nocet, ut in *e. Nobis. c. e. Sicut, de Simonia*, omnia videntur fecisse in fraudem: aut ab amicis, & tunc si sponte renuntiet, potest secum dispensari ex magna misericordia: si vero non renuntiat, non dispensatur, ut habeat talem Ecclesiam, sed ut habeat aliam vacantem. Alia vero beneficia potest habere etiam sine dispensatione, ex quo ipso non commisit simoniam: Si vero beneficium fuit simplex, si sponte renuntiat, & eo ignorante fuit commissa simonia, potest Episcopus dispensare etiam, ut habeat beneficium ea vice. Si vero sponte non renuntiat, vel eo sciente fuit commissa simonia, non admittitur dispensatio secum per Episcopum. Solum igitur permittitur dispensatio in simplici, duobus concurrentibus, quod sponte renuntiaverit, & eo ignorante simonia fuerit commissa. Quare si sciens quis acquirerit beneficium simplex per simoniam, non dispensatur cum eo, ut habeat beneficium illud ea vice. Idem iuris est, si non renunciet, sed expectet sententiam: nam tunc est effectus infamis, & cum tali non dispensat Episcopus, quia non est expressum in iure. Si ignorans fuit, & expectavit sententiam, donec certior factus fuerit de simonia, tunc quia in culpa non est, cum eo dispensatur: secus, si certior factus voluerit expectare sententiam. Et in omnibus casibus, in quibus dicitur Episcopus dispensare posse, id intelligitur locum habere in Episcopo, qui pecuniam simoniace non accepit, ut si fuerit successor Episcopi, qui simoniam commisit. Hæc omnia Panormitanus, & verè, & ad quaestionem propositam aptè, & accommodatè.*

De Simonia, qua committitur in promissis,
& datis.

CAPUT XXIII.

AD iustitiam, vel gratiam impetrandam apud Pontificem Romanum, sciendum est, editam esse constitutionem à Gregorio XIII. quæ incipit: Ab ipso Pontificatus nostri principio: in qua invocatur alia constitutio Bonifacii XIII. quæ est prima in titulo de sent. excom. inter extravagantes communes. Renovata verò est à Gregorio XIII. quia, ut testantur Angelus, Adrianus, & Caietanus, & Silesius, quos citat, Nauart. in Commentario super prædictam constitutionem Gregorij XIII. Notab. 20. erat Clementis V. auctoritate reuocata.

Insuper animaduertendum est, per huiusmodi pontificiam constitutionem, excommunicatos esse factò quotquot pactum, vel promissionem faciunt de dando aliquid, vel qui dant aliquid ex pacto, vel promissione, vel acceptum habent pactum, vel promissionem de dando aliquid, vel acceptam habent occultè & manifestè donationem factam ex pacto, vel promissione pro iustitia, vel gratia obtinenda sive pro se, sive pro alio in causis, vel iudicijs, vel alias per literas Apostolicas, & quibilibet aliis modis apud

Sedem Apostolicam. Vnde electiones prohibitz in ea constitutione sunt pacto, vel promissio de dando aliquid, donatio ex pacto, vel promissione facta post iustitiam, vel gratiam obtentam: donatio facta ad obtinendum iustitiam, vel gratiam, etiam ex pacto, vel promissione: acceptatio pacti, vel promissionis, vel donationis pro iustitia, vel gratia obtinenda apud Sedem Apostolicam: promissio, vel pacto facta tertio interueniente, vel mediaturò in fauorem eius, qui iustitiam, vel gratiam est impetraturus: denique acceptatio prædictæ pactionis, vel promissionis, vel donationis.

Primo quaeritur, An incidat in penas eiusmodi constitutione impetrans, qui facit promissionem debitam solum iure grati animi, & verbis tantummodo generalibus, nimirum si hoc, vel illud mihi impetraveris, gratus tibi ero. Nauartus in Commentario citato Notab. 40. negat in huiusmodi penas incidere, dummodo promissio fiat solum iure grati animi, quem naturali ratione habere debemus erga eos, qui sunt de nobis bene meriti; & nihil addatur quod penas incurrit, dummodo promissio fiat solum iure grati animi, quem naturali ratione habere debemus erga eos, qui sunt de nobis bene meriti; & nihil addatur quod promissionem iure naturali debitam transferat in civilem obligationem. Veluti si quis solum dicat sic: Nunquam me experieris ingratus; vel, Me habebis beneuolum, & amicum; vel nunquam te peccabit exhibitio mihi beneficij, vel ioco & tempore opportuno gratus tibi referam: Item si quis faciat promissionem verbis tantummodo generalibus, quæ humanitatis gratia fieri inter homines solet, ut si quis dicat: Tuus ero in posterum, vel in omnibus me tuum esse cognosces, vel deinceps me sodalem, & gratum habebis, vel de me, & de meis rebus disponere potens, sicut voles. Hanc suam sententiam probat Nauartus, quia grati animi virtus iure naturali debetur his, qui sunt bene meriti de nobis: at non videntur pontificia constitutione prohiberi, quæ iure naturali, & diuino non solum permittuntur, sed debentur.

Sed meo iudicio, eiusmodi promissio prohibetur, si reuera talis sit, ut cum, cui fit, moueat, & inflectat ad iustitiam, vel gratiam petendam: quoniam eiusmodi pacta, vel promissiones merito leges, & iura prohibent, quia solent eorum, quibus sunt, animum allicere, corrumpere, & iudicium peruertere. Nec argumentum Nauarti vim ullam habet: quoniam aliud est gratum animi habere erga eos, qui in nos beneficium contulerunt; aliud verò est, ante beneficium in nos collatum promittere, nos gratum erga eos, à quibus beneficium consequamur, animum habuitos. Nam grati animi virtus post beneficium acceptum naturali iure debetur, non tamen ante beneficium in nos ante collatum. Vnde illa minime prohibetur, sed promissio ante beneficium impetratum.

Secundo quaeritur, An penas eiusmodi contrahat is, qui dat aliquid quomodolibet ante gratiam, vel iustitiam impetratam? Nauartus in Commentario iam allegato. Notab. 12. negat eum contrahere, qui dat quomodo libet, nimirum si dedit ob aliquam aliam causam iustam, & rationabilem, præter quam propter iustitiam, vel gratiam obtinendam. V. g. si dedit quis xenia, dari consuevia, nisi notabiliter sint maiora, vel plura, quam dari soleant. Item si dedit et cæcitate, vel poculenta, quæ intra paucos dies consumi solent, nimirum intra triduum. Item si dedit ob meritam liberalitatem, amicitiam, vel beneuolentiam: insuper si dedit tanquam stipendium laboris, vel operæ, ut si det aliquid Notario, Aduocato, Assessori, quicquid est solitum dari, ut stipendium: Si detur resti aliquid, quo ille suppleat quas fecit impensas, vel ut quod passus est damnum, compenset. Præterea si dedit aliquid ad redimendam vexationem iniquam: quia quicquid ex his causis, vel aliis datur, non datur præcisè ad obtinendam iustitiam, vel gratiam, sed ad soluendum, quod aliquot iure debetur.

Quid dicendum de cubicularijs, secretarijs, & alijs familiaribus Principis, aliquid sibi datum accipientibus? Respondet, eos penas iuris affici, si recipient ob impetrandam iustitiam, vel gratiam à Principe: secus verò, si receperunt

petunt ob clamum, quod pateretur compensandum: nam eo ipso, quod semel, ut bis à Principe gratiam impetrant, minus postea audent, vel impetrant. Item si recipiant ob maiorem operam, & diligentiam exhibitam, V. g. in humaniter, & benigne excipendis, & admittendis precibus eorū, qui à principe aliquid importunè contendunt; in præben- dolo eis aditum faciliorem, frequentiore, opportuniorem, in supplicibus libellis deferendis ad Principem, facilius, citius, & opportunius; in monendo eos, & instituendo, quid facere, & quo modo se gerere debeant; in reuocando ad memoriam Principis negotio, quod petitur; in rogando sæpius Principe pro gratia, quod petitur; in rogando sæpius Principe pro gratia, quod petitur. Hæc omnia Nauarrus in *Comment. prædicto, num. 5.* ea verò locum habent, dummodo non plus detur, vel accipiat, quam illa merentur.

Tertio queritur, An eiusmodi pœnas contrahat, qui promiserit, vel damnauerit, vel acceperit parua munuscula? Ratio dubitandi est, quia in constitutione præfata dicitur: Si detur, vel accipiat aliquid magnum, vel paruū. Respondeo cum Nauarrus in *commentario supra memorato, num. 10.* arbitrio boni viri iudicandum esse, quid in hac parte magnum, aut paruū censetur. Semper autem requiritur, ut munus quod datur, & accipitur, tanta sit quantitas, ut probabiliter credatur motu animi eius, cui datur ad impetrandam gratiam, vel iustitiam.

Quarto queritur, An incurrat tales pœnas, quas diximus, is, qui dat, vel accipit aliquid post gratiam, vel iustitiam impetratam? Respondeo, distinguendo: Aut dat, vel accipit ex pacto, vel promissione præcedente impetrationem gratiæ, vel iustitiæ, & is in pœnas incidit: Aut dat, vel accipit absque vili pacto, vel promissione præcedente, & tunc, vel fecit id ob impetratam gratiam, vel iustitiam, & is incurrit in pœnas, quia simoniace dat, vel accipit: Aut dat gratis, & liberaliter, quamuis causa ostendendi animum gratum, & is pœnis constitutionis non afficitur, quia nec dat ex pacto præcedente, nec ob gratiam vel iustitiam obtentam, sed ex animo grato, & benenolo. Sic Nauarrus in *præfate Commentario num. 21.*

Quinto queritur, An si quis faciat pactum, vel promissionem de dando aliquid, contrahat pœnas etiam effectu minimè sequuto? V. g. Titius dat aliquod nummos aureos Caio, ut à Romano Pontifice certam gratiam impetrat, & Caius recipit, etiam gratia minimè impetrata, incidit ne vertere in prædictas pœnas? Respondeo, promittentes, vel pacificentes, vel dantes, eas pœnas contrahere, etiam si non sequatur effectus: quia id expresse dicitur in ipsa constitutione.

Sexto queritur, Quid Pontificia constitutio intelligatur nomine gratiæ, vel iustitiæ? Respondeo intelligi gratiæ, vel iustitiæ appellatione, quicquid per literas Apostolicas, Diplomata, siue Bullas, & Breuia pontificia gratiose conceditur: quæ itidem per solam signaturam, in solo verbo, vel vel vixæ voci oculo concedi solent, eiusmodi sunt multæ absolutiones, dispensationes, indulgentiæ, facultates, & prærogatiue: nam in constitutione dicitur: Per literas Apostolicas, & quibuscunque aliis modis. Nomine iustitiæ intelligitur sententia definitiua, interlocutoriæ, appellatio, liberatio à carcere, absolutio à qualibet pœna, protogatio, vel non protogatio termini, vel quid aliud simile, etiam si sit arbitratum in iudice.

Septimo queritur, quid in eadem constitutione intelligatur nomine Sedis Apostolicæ? Respondeo Nauarrus in *loco citato, Notab. 17.* intelligi Romanum Pontificem, quando præest Sedi Apostolicæ, & ut est Christi Domini Vicarius, videlicet, prout habet iurisdictionem in spiritualibus, non autem, quatenus habet iurisdictionem in temporalibus. Unde, inquit, non comprehendit constitutio eos, qui impetrant gratiam, vel iustitiam à Gubernatore Urbis, Burgi, iudicibus Capitolij, eorum delegatis, vel quibusvis aliis similibus ministris. Comprehendit verò eos, qui obtinent à summo Prælatu, à Vicecamerario, Camera- rio, Vicario Urbis, Auditoribus Rotæ, contradicturam,

Camera, Cubicularijs, Secretarijs, & aliis eiusmodi.

Aliis verò probabilis videtur, appellatione Sedis Apostolicæ in prædicta constitutione intelligi Romanum Pontificem, siue quatenus spirituales, siue temporales iurisdictionem habet; ac proinde comprehendit omnes eius ministros, habentes etiam iurisdictionem temporalem in curia Romana: quia videtur mens Pontificis esse, ut à Curia Romana procul abiret non solum omnis simonia, sed etiam ambitio, & auaritia.

Quod autem Nauarrus subiunxit, non comprehendit, videlicet, ministros Romani Pontificis, qui iurisdictionem siue spirituales, siue temporales habeant extra Curiam Romanam, quales sunt Legati, Nuntij, Inquisitores, Commissarij, Collatores, Conseruatores, & alij, similes: verum est.

Octauo queritur, Quot, & quæ pœnæ in eiusmodi constitutione imponantur? Respondeo, sequentes.

Prima est excommunicatio, in quam incurrit ipso facto, qui contra facit.

Secunda, gratia, vel iustitia impetrata contra constitutionem est irrita, & inanis.

Tertia, quicquid accipitur contra constitutionem, est restituendum: nec potest quis absolui, nisi prius restituat pauperibus, quicquid accepit. Nec sufficit, si remittat is, qui dedit, ut ait Nauarrus *Notab. 20.* quia is, qui dedit, turpiter dedit, ac proinde, quod dedit, non est ei restituendum.

Quarta, is, qui vitat gratia, vel iustitia contra constitutionem obtenta, est ipso facto excommunicatus.

Quinta, dantes consilium, auxilium, vel fauorem ad aliquam actionem in constitutione prohibitam, ipso facto sunt excommunicati: quæ pœna non contrahitur, teste Nauarrus nisi effectu subsequuto. Quod sic est intelligendum, Quando quis dat consilium, auxilium, vel fauorem, ut gratia, vel iustitia impetretur, non incidit in excommunicationem, nisi impetratio sequatur. Quando verò dat, ut fiat pactio, vel promissio, vel receptio, causa obtinendæ iustitiæ, vel gratiæ, tunc incurrit excommunicationem, quamuis impetratio sequuta non fuerit.

Sexta pœna est prauisio omnis beneficii Ecclesiastici, & omnis officij siue Ecclesiastici, siue secularis perpetui, & temporalis. Hæc pœna contrahitur post sententiam iudicis, teste Nauarrus *Notab. 21.*

Septima est infamia: in hanc etiam non incidit, quis nisi conuictus, vel confessus in iudicio, vel notorius per euidentiam facti.

Octaua est inhabilitas ad quæuis beneficia obtinenda: hanc incurrit quis etiam ante sententiam iudicis, quia est inhabilitas ad acquirendum officium, vel beneficium.

Vltima est: qui sciuerit delicta contra hanc constitutionem commissa, nisi denuntiet intra triduum, ipso facto excommunicatus: quæ pœna, teste Nauarrus, *Notab. 19.* solum afficitur, qui in Curia Romana commoratur.

De pœnis eorum, qui in simonia Mediatores dicuntur.

CAPVT XXIV.

Primo queritur, An in excommunicationem incidant ipso iure, quorum interuentu, & opera simonia committitur, quos appellant Mediatores? Respondeo, excommunicat onem incurtere quotquot tales sunt mediatores, ut simonia realis in ordine, vel beneficio committitur, à qua nequeunt absolui extra articulum mortis, nisi à Romano Pontifice. *extrauag. 2. de Simonia inter communes.*

Secundo queritur, An is, cuius interuentu committitur simonia confidentialis in beneficio, sit ipso iure excommunicatus? Respondeo Nauarrus in *Manuali, c. 24. n. 111.* eum excommunicatum esse, quia simonia confidentialis

in be-

in beneficio est realis, ac proinde in extrauag. prædicta comprehendendi videtur.

Tertio queritur, An qui procurant, vt simonia realis in beneficio committatur, debeant restituere tum id, quod acceperunt ob beneficium suo interuentu impetratum, tum etiam fructus beneficij, quos is, pro quo intercesserunt, simoniacè receperit? Respondeo, eos ad vtrumque restituendum, ipso iure compelli. Nauarrus in *Commentario supra citato*, Notab. 22. num. 45. Et ratio est, quia is, qui causam damni dat, damnum refarcire debet. Hoc verò intelligitur, quando is, pro quo intercesserunt, restituere fructus malè perceptos, aut non potest, aut non vult: ipse enim beneficiarius principaliter restituere cogitur; quo non restituente, debet restituere is, cuius interuentu beneficium est ille consecutus, sicut etiam ij, qui conferunt, vel conferendam curant beneficium excommunicatis, suspensis, interdictis, irregularibus, vel aliis extra legitimum matrimonium natis, vel alio canonico impedimento in habilibus, debet restituere fructus male perceptos ab huiusmodi clericis, quando ipsi aut non possunt, aut nolunt restituere. Nauarr. loco citato.

Quarto queritur, An Titius, & Caius Simoniam committant, cum ille dat pecuniam Caio, vt interuentu ipsius Caij, ordinem, vel beneficium recipiat? Respondeo, ex communi sententia, simoniam vtrumque committere. Sic Innocentius in c. *Tanta de Simoniâ*, quem ibi Felinus, & alij communiter sequuntur. Ita etiam Nauarr. in *Manuali*, num. 106. vers. *Ad quintum quod mediator*: vbi citat Antoninum, Panormitanum, & Bellameram in c. *Tuam de de Retra. Et quali ordinem*. Siluester in verbo *Simonia*, qu. 10. vers. 3. ad finem. Sotus, lib. 9. de iust. quæst. 7. artic. 3. in princ. Idque ratione comprobatur: quia, vt ait Innocentius, paria sunt hæc inter se, Dare pecuniam collatori, vel ordinatori, & Dare intercessori. Nam eo ipso, quod Titius dat pecuniam Caio, vt ipso interueniente ordinem, vel beneficium consequatur, patit sibi viam, & aditum ad ordinem, vel beneficium. Addit autem Nauarrus hoc locum habere, quando Titius dat, vt Caij precibus beneficium, vel ordinem obtineat, non autem, si dedit ob laborem, industriam, & diligentiam exhibitam à Caio in eundo, vel redeundo, vel ob impensas quas fecit, vel ob damnum, quod passus est, vel ob lucrum, quod Caius amisit. Tunc enim non emit Titius preces Caij, vt beneficium assequatur, sed emit laborem, & diligentiam Caij, vel compenlat impensas, quas Caius fecit, vel damnum, quo læsus est; vel lucrum, quod alioqui acquireret. Hæc autem extrinsecus iunguntur.

De Simonia, que vna cum Summo Pontifice committitur.

CAPVT XXV.

PRIMO queritur, An Simoniz erimen in Summo Pontificem cadere possit? Respondet S. Thomas 2. 2. quæ 100. art. 1. ad 7. his verbis: (Papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo: peccatum enim in aliqua persona est grauius, quanto maiorem obinet locum. Quamuis enim res Ecclesiæ sint eius, vt principalis dispensatoris, non tamen, vt domini, vel possessoris. Et ideo si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniâ de redditibus Ecclesiæ alienius, non est erit vitio Simoniz. Et similiter etiam potest Simoniam committere recipiendo pecuniâ ab aliquo laico, non de bonis Ecclesiæ) Caietanus eodem loco, vers. *Nota Tertio*, prope finem, addit hæc: Ex eodem quoque fundamento, scilicet, quod Papa non est dominus, sed dispensator rerum Ecclesiæ, sequitur, quod de plenitudine potestatis non possit ad libitum dare bona Ecclesiæ cui voluerit, sed tenetur fideliter dispensare, vt ratio suadet, iuxta illud: 1. Cor. 9. (Hic iam queritur

inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.) Et illud Matth. 24. (Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illi in tempore titi- ci mensuram; non ad libitum, quantum voluerit.) Sic ille Paludanus 4. Disti. 25. q. 4. art. 1. ita scribit: Papa non potest committere Simoniam, quo ad poenam iuris positam, cui non subest; vnde nec suspensionem, nec huiusmodi poenas iuris sustinet; sicut si percutiat clericum, excommunicatus non est, quia Princeps legibus suis subiectus non est, nec earum poenis. l. *Princeps ff. de legibus*.

Canonici iuris interpretes communiter distinguunt: Aut simonia est iure naturali, & diuino damnata, & hæc potest cadere in Romanum Pontificem, qui iure naturali, & diuino tenetur: Aut est solum canonico iure prohibita, & hæc in Romanum Pontificem non cadit, quia est iure canonico soluta.

Secundo queritur, An is, qui cum Romano Pontifice simoniam committit in ordine, vel beneficio; incidat in poenas iuris? Paludanus loco citato, concl. 3. Sic ait. Ille qui emerit à Papa beneficium, vel ordinem, poenas iuris canonici non incurret: quia sicut potest dispensare in poenis incurtis, ita quod non incuratur: sicut potest dare privilegium alicui, vt percutiat clericum, non esset excommunicatus, licet non bene faceret. Quando autem dat Papa beneficium, vel ordinem pro pecunia, videtur dispensare, quod licet retinet beneficium, vel ordinem exequi: sicut quando scienter dat irregulari, eo ipso dispensat eum eo. Vnde qui habuit beneficium per simoniam in Curia, si habet conscientiam, quod emanauit de conscientia Papæ cõferentis penitendo de peccato, non tenetur restituere, sed potest retinere. Sic etiam Siluester in verbo *Simonia*, qu. 4. Nauarr. in *Manuali*, cap. 23. num. 108. & est communis opinio inter Canonici iuris interpretes, vt ex Siluestro, & Nauarro patet. At verò Panorm. in c. *de Simoniâ*, num. 8. & 9. Sic ait: In omnibus casibus puto, quod ille, qui dedit ex pacto pecuniam Papæ, non sit tutus quo ad Deum, nec potest sine peccato administrare in beneficio; & in casu, in quo Papa non committeret simoniam, ex quo extabat constitutio prohibitiua, subditus incidit in poenam: sicut in simili disputat Ioan Andreas, quæstionem. Cauetur statuto Episcopi, quod ludens certo ludo, sit excommunicatus, An ludens cum Episcopo, qui fecit ex communicationem, incidat in excommunicationem. Et concludit, quod sic, licet ipse Episcopus non sit excommunicatus, quia non potuit ipse ligari sua constitutione. Idem disputat in *Reg. Gui licet*, de *Reg. iur. in sexto*, in *Mercurialib.* Sic etiam ad propositum, vbi Papa non committeret simoniam, ex quo recipiendo pecuniam, dans pecuniam ex pacto, non suspendit constitutionem prohibitiuam, committit vitium simoniæ: & sic non potest agere veram penitentiam retento beneficio, vt in c. *Inquisitionis de Accusat. in princ.* Felinus in c. *De castro*, vers. *De Simonia vxo commissâ*, de *sent. Et re iud.* opinionem Panormitani secutus dicit: licet Papa non ligetur in aliquibus, tamen ligatur inde, qui contrahit cum eo. Idem videtur sensisse Baldus in l. *Balbarius ff. De offic. Prato.* Caterum prima sententia, vt dixi, est communis.

FINIS LIBRI DVO-
DECIMI.

(433)